ΣΙΚΕΛΙΩΝ

SIVE

COMMENTARIORUM

DE SICILIAE VETERIS GEOGRAPHIA, HISTORIA, MYTHOLOGIA, LINGUA, ANTIQUITATIBUS SYLLOGE.

ACCEDUNT,

PRAETER INSCRIPTIONUM ALIQUOT ENARRATIONEM, SCRIPTORUM UT NATIONE SICULORUM, ITA HORUM, QUI DE REBUS SICULIS EGERUNT, VITAE CUM RELIQUIIS OPERUM ILLUSTRATIS.

EDIDIT

DR. IOANNES FRIDERICUS EBERT.



VOLUMINIS PRIMI PARS PRIOR.

REGIMONTII PRUSSORUM,
SUMTU FRATRUM BORNTRAEGER.
MDCCCXXX.

PRAEFATIO.

Milia annorum abierunt iam ferme duo, ex quo scribentium in eligendis scriptorum titulis insolentiam et nugas Plinius[1] reprehendit: Gellius etiam, Plinii dictorum aemulus, non magis „festivitates inscriptionum"[2] quam ambitionem inscribentium improbavit; nos autem in horum, quamvis gravium, hominum adhortatione surdi, certe surdastri fuimus ad hunc diem; nam etiam nunc multi nostratium non exquisitos libris suis titulos excogitant, quiddam potius ineptum et nugatorium esse inscriptionis esse volunt.[3] Quod ut caverem, pertimesco, ne

1) Vide Praefationem, quam naturae historiam libris praemisit, T. I p. 19 ed. Frnz.

2) In Praefatione Noctium Atticarum §. 4 ed. Li.

3) Ita prorsus existimo, ut scripsit ingeniosus Princeps Aemilius Leopoldns Augustus, ante annos sex septemve mortuus, (Mosengeil's Briefe über d. D. Ernst Wagner, T. II p. 34): „.. und der 40jährige Hennebergsche Fibelschütz, wie nninteressant! Auf Ehre! Sie sind wie Jean Paul! Der macht auch seinen meisten Büchern Titel — zum Herausreißsen. Warum wollt Ihr denn Euern .. frazzenhafte Haarbeutel anhängen?"

ipse parum attendisse dicar, quum hunc ipsum librum appellarim nomine, de quo vel Lexica, „ingenii et eruditionis vicaria"[4], conticescant. Conticescunt, hercle; verum idcirco me nolim existimes ludificatum esse: nam qui de Sicilia et Siculis et Siciliensibus perficitur liber, is admodum levi nec indecora translatione *Σικελιῶν* (perinde valebit, ac si vicum dicas, in quo aedes nullae a Siculis non sunt conductae) inscribi potuit; adde illud etiam, quod me doctiores lacessitos volui, *περιεκτικῶν* e propriis nominibus orientium genus ne ultra, velut alienum, taciti praeterirent. Interea ut ne omnino deesset, quo consultum super eo certe, quod in titulo usurpavi, illius generis *περιεκτικῶ* venires, efficere studui brevi commentatione, quae exhibetur infra: arbitrabar videlicet impedito de loco non, ut ait ille, „silere melius esse, sed vel parum dicere."[5]

Postquam lectoribus certe quidem eruditis titulum purgavi, proximum esse video, ut disseram, in edendo hoc libro quid propositi habuerim. Ac primo quidem a scribenda Sicilia vetere et nova (Sponius sibi quiddam simile informaverat[6]) non abhorrebam; post paullo, quum sumti laboris adiumenta et praesidia enixius instituissem quaerere, nostra in urbe aegre veterem,

4) Sermo est F. A. Wolfii; vide Prooemia ex indicibus lectionum Academiae Halensis collecta a Frid. Manitio p. 180.

5) V. Apuleii libr. de Mundo p. 135 ed. Harl.

6) V. Miscellanea Eruditae Antiq. p. 176.

nedum novam Siciliam confectum iri intelligebam; tanta bonorum librorum inopia me circumstabat. Nec idcirco tamen suscepti me negotii pertaedebat, sic ut valere Siciliam iuberem, sed quia res multas in illius insulae historia, mythologia, antiquitatibus cet. nequaquam satis adhuc explicatas sciebam, librorum inopia deterreri me minime patiebar, quominus huc nervos intenderem; praesertim quum rerum scientia Siculorum subtilior etiam de Romanis quaerentium („a Siculis multa habuerint Romani"[7]) haud se raro praestet adiutricem. Horum igitur studiorum velut cursum aliquamdiu iam illuc direxeram, quum abhinc annis quinque documentum mei dare statuebam producendo in publicum libro, quem Dissertationes Siculas[8] inscribebam cuiusque in praefatione singillatim quoque, non generatim modo et universe, proferebam, quae potissimum illustrare vellem. Qui nunc editur Σικελιών, is earum, quas inchoavi, dissertationum in locum succedit, non quo illas putem pro emortuis et nullis iam aestimandas esse, sed quod inscriptio nova, a novo redemtore flagitata, melius insuper conventura videbatur cum libri quasi veste nova et ea quidem digniore.

7) Sunt verba Hemsterhusii ad Polluc. IX, 70.

8) Huius libri censor Lipsiensis (v. Ephem. litter. Lips. a. 1826 nro 88) sic orditur censuram: „Was unter diesem räthselhaften Titel versteckt sei" cet., verum id genus aenigmata (h. e. obscuritates) „non assignaemus culpae scribentium, sed inscitiae non assequentium." (Gell. XX, 1.)

Sed de his rebus satis vel etiam nimium multa; nunc, quod paullo ante pollicebar, exsolvam.

Σ ι κ ε λ ι ῶ ν.

Dionysius Halicarnasseus multus est in enumeranda eorum populorum multitudine, qui cum alias Italiae partes olim occupatas habuerunt, tum eas maxime, ubi postmodo urbs Roma condita est. Quam historiam ille dum persequitur accurate, *οἱ κατασχόντες*, inquit[1], *Ῥώμην*[2], *πρῶτοι τῶν μνημονευομένων, βάρβαροί τινες ἦσαν αὐτόχθονες* **Σικελοὶ** *λεγόμενοι:* eaque narratio ne fidem nullam reperiat, subiicit: *τούτων, Σικελῶν, οὐκ ὀλίγα διέμεινεν οὐδ' ἀφανῆ μνημεῖα μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων, ἐν οἷς καὶ τόπων τινὰ ὀνόματα* **Σικελικὰ** *λεγόμενα, μηνύοντα τὴν πάλαι ποτὲ αὐτῶν ἐνοίκησιν.* Ad haec verba Casaubonus se malle scribit „*Σικελικῶς* aut *Σικελιστί*": ego tamen, hanc sententiam ut sequar, aegre moveor; saltem Dionysio obtrudi veto *Σικελιστί*, quo adverbio vetusti scriptores abstinuerunt prorsus omnes[3], ut tacitum feras, a sananda voce *Σικελικὰ* quam longe dissideat *Σικελιστί*: *Σικελικῶς* autem tum abest propius ab illo, cui medendum, vocabulo, tum quondam hoc verbo significari vere potuit **in lingua Siculorum** (*Σικελῶν*), quanquam, hoc sensu

1) Antiqq. Rom. II, 1 p. 254 R. oll. I, 9 p. 24.

2) H. e. *Ῥώμην καὶ τὰ πέριξ χωρία.*

3) Utitur Iosephus Scaliger in indice Chronici Eusebiani; usurpari cupit Casaubonus ad nostrum Dionysii locum.

a quo scriptore usurpetur, adhuc me legere non memini: nam Byzantius Stephanus, monens idemtidem de gentilium apud Siculos in ῖνος cadentium multitudine, hic scribit ὁ οὐκ ἀηθὲς Σικελῶν[4], alibi Σικελικῶς ἀμφότερα[5], verum ἡ βάρβαρος διάλεκτος τῶν Σικελῶν[6] ante oculos est illi neutrubi versata, de consuetudine lingua Graeca loquentium narrat. Itidem Eustathius Σικελικῶς eodem, quo Stephanus, intellectu semel et iterum dixit.[7] Haec si pensitas omnia, Casauboni emendatione non vere sanari locum, sed pelli modo asperitatem asperitate concedes. Sed haec ἐν παρόδῳ, redeo ad ea, quae exorsus sum: hos Σικελοὺς paullatim e sedibus eiecerunt, ut est apud eundem Dionysium[8], Ἀβοριγῖνες, qui πόλεις ἔκτισαν ἄλλας τέ τινας καὶ τὰς μέχρι τοῦδε οἰκουμένας, Ἀντεμνάτας τε καὶ Τελληνεῖς καὶ Φικολνέους τοὺς πρὸς τοῖς καλουμένοις Κορνίκλοις ὄρεσι, καὶ Τιβουρτίνους, παρ' οἷς ἔτι καὶ ἐς τόδε χρόνου μέρος τι τῆς πόλεως ὀνομάζεται Σικελιών[9]: extremae locum vocis in codice quidem Vaticano occupat Σικελικόν, sed lege, iterum et saepius lege verba integra, ut persentiscas, a rhetore de industria ad extremum videri reservatum esse vocabulum multo, quam tenue illud Σικελικόν, exquisitius. Tiburtinae igitur urbis pars eli-

4) S. v. Ἀβακαῖνον.

5) S. v. Ταλαρία.

6) Diod. Sic. V, 6.

7) Ad Odyss. δ, 1506, 52. κ, 1654, 20. Iliad. υ, 778, 37 Rom.

8) Antiqq. Rom. I. I.

9) Antiqq. Rom. I, 16 p. 44.

qua traxerat, Dionysio teste, appellationem suam ex eorum nomine Σικελῶν, qui priscis temporibus ibi sederant; haec autem appellatio quum scribitur fuisse Σικελιών, praeter alia ne hoc quidem liquet, utrum Tiburis pars illa ab universis civibus, an a solo Dionysio sic fuerit nominata. Quocirca primum omnium opera danda est, ut exundatur, qua tandem ratione Dionysius et unde hoc vocabuli acceperit. Et hic quidem Casaubonus audiendus profecto non est, qui nostrum illud Σικελιὼν suspectum obiiciendo facit, Graecam vocis speciem esse, quum tamen „lingua Siculorum istorum fuerit barbara.“ [10]. Ab ipsis Σικελοῖς, etiam ebarbarorum [11] numero si eximuntur, id nomen Σικελιὼν formatum esse difficile creditu est; mihi nulla unquam Tiburis pars vere et ab ipsis Tiburtinis videtur Graece nominata esse Σικελιών: Dionysius autem labori parcens nulli, ut historiam conficeret ἀκριβείας laude conspicuam, ideoque non unam per Romam, sed vicinas urbes permeans, suis ipsius auribus, opinor, percepit, ut quendam oppidi sui vicum Tiburtini Latina quidem voce, sed illa a nomine Σικελῶν aut deflexa aut cum eodem coniuncta vocarent. Age vero consideremus etiam, quid fere vocum Latinarum ille videatur audivisse. Urbis, quam loquimur, pars ista potuit fieri, ut appellaretur „Siculus vicus“: Livius: „multos, Tuscos, Romae hospitum urbisque caritas tenuit. his locus ad habitandum datus, quem deinde Tuscum

10) Vide eius animadversionem ad Dion. Antiq. Rom. II, 1 in.

11) Pelasgis adnumerari iubet Niebuhrius.

vicum appellarunt"[12]; at, nisi me fallit, unum solum deductum a verbo Siculus collectivum nomen Dionysius percepit, quod, quia in Graeco sermone loqui Latine nolebat[13], non Graeca modo reddere, sed prorsus aequare studuit audacter fingendo hoc nomine Σικελιώτ[14])

Iam vero accedendum est ad aliam quaestionem, videlicet Dionysius an Graecae grammaticae praeceptis obedierit dicendo Σικελιών. Damto Casaubono, ad id locorum reperi neminem, qui de isthoc vocabulo quidquam scripto mandavisset; is autem, paullo nostrae voci infestior, ita se magis contentum fore significat, si legeretur Σικελλίων[15]: quae coniectura quanto fiat expeditior verbi forma nescio: eundem vero Casaubonum vehementer probo, quum pro Σικελιὼν scribi cupit[16] Σικελώνι: et enim περιεκτικὰ nomina (in his autem numeratur Σικελιών) in -ών terminantur et -εών, nunquam in -ιών, adserente Cl. Lobeckio[17]: e Σικελὸς igitur nascetur Σικελών, ut ξενὼν e ξένος, ex ἄμπελος ἀμπελὼν cet. Opponat aliquis, Dionysium videri debere non a Σικελὸς, sed a Σικέλιος derivasse Σικελιών: verum Σικέλιος pro Σικελὸς dixit

---

12) Liv. II, 14.

13) Cf. Cic. Tusc. I, 8. 15.

14) Haec a me scripta si Sigismundus Gelenius posset legere, pro certo is affirmaret, a Dionysio „Siculetum" auditum esse; v. Fr. Sylburg. ad Dion. Antiqq. R. I, 16 fin.

15) V. animadverss. ad Antiqq. R. II, 1 in.

16) Loco laudato.

17) Ad Phryn. p. 166.

praeter imi virum subsellii[18] nemo. Erat etiam tempus, quo prae forma Σικελιών, ῶνος, ὁ, magis mihi placebat Σικελιών, όνος, ἡ, putanti nimirum hanc formam ad Σικελίζειν redire eadem ratione posse, qua Ἑρμιών, όνος, ἡ, (urbis nobilissimae nomen est, unde Ἑρμιόνη) ad Ὁρμίζειν[19]: sed propter significationem minus aptam dudum eam sententiam deserui. Nunc mihi probatur maxime forma Σικελών, ῶνος, ὁ, eam vero, quoniam sola coniectura efficitur, in titulo devitandam esse censui.

Denique multis non Σικελιών, nec Σικελὼν arridebit prius, quam alia περιεκτικὰ e propriis pariter nominibus[20] prognata velut suppetias advenerint: uno illi contenti sint oportet. Scribit Photius[21]: Ἐχελιδών: τόπος ἔχων ἱππόδρομον· ἀπὸ Ἐχέλου ὀνομασθείς. Ea sic intellige: Ἔχελος[22] fuit ἥρως παρὰ Ἀθηναίοις τιμώμενος[23]: ex

18) Dico Tzetzam ad Lycophr. 951.

19) V. Steph. Byz. in Ἑρμιον.

20) Propriam nominis Σικελὸς significationem sequenti tibi res melius procedet. „Bovas Graeca vetari lingua ἰταλοὶ vocitati sunt" (Gell. XI, 1): iam vero is, cuius omnes acumen miramur, docuit (Röm. Gesch. I p. 47 ed. n.) Σικελὸς et Ἰταλὸς idem esse nomen: hinc Σικελὼν idem prorsus qui Βοών, Ochsenstall. Sed ioculo isthaec, non serio dixi.

21) Lex. ad. noviss. p. 40.

22) Raro obvium nomen Ἔχελος: in epigrammate Πέρσου Θηβαίου (Anth. Pal. I, 445) occurrunt Μαντιάδας καὶ Εὔστρατος, υἷες Ἐχέλλου, ubi par est difficile dictu, utrum nomen fuerit Ἐχέλαος = Ἔχελλος, ut Πρεπέλαος Πρέπελλος, an metri necessitas Ἔχελον mutarit in Ἔχελλον, an a principio fuerit Ἔχελλος.

23) Etym. Magn. p. 404. —

eo nomen habuerunt (*Ἐχελίδης*) *Ἐχελίδαι*, quae fuit unius de demis Atticis appellatio.[24] Ex hoc demum nomine *Ἐχελίδαι* oritur *Ἐχελιδών* isque ni fallor erat locus, *ἐν ᾧ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας ἐτίθεσαν τοῖς Παναθηναίοις.*[25] Praeterea mihi quamvis attente legenti eiusmodi nomen adhuc apparuit nusquam; quin contra est, unde mecum concludas, ab antiquis et probis Graecorum scriptoribus id genus periectica ignorata, certe aliis formis esse posthabita. Narrat Thucydides: *Γέλαν Ἀντίφημος ἐκ Ῥόδου καὶ Ἔντιμος ἐκ Κρήτης, ἐποίκους ἀγαγόντες, κοινῇ ἔκτισαν.. καὶ τῇ μὲν πόλει ἀπὸ τοῦ Γέλα ποταμοῦ τοὔνομα ἐγένετο· τὸ δὲ χωρίον, οὗ νῦν ἡ πόλις ἐστὶ καὶ ὃ πρῶτον ἐτειχίσθη, Λίνδιοι καλεῖται*[26]: iam quum aliunde certo constet, Gelam praecipue conditam esse ope *Λινδίων τῶν ἐκ Ῥόδου*[27], nihil fere dubitationis habeo, quin isti loco de *Λινδίοις* nomen obtigerit: ibi igitur etsi revera fuit *Λινδιών*, tamen Thucydides sic loqui noluit.[28]

Extremum illud est, ut te, erudite lector, orem, huic ut libro suffragere: quod si te non posse iudicaveris, facito, ex te meliora ut quam primum sciamus.

Scrib. Regimontii Prussorum d. XII m. Oct.
MDCCCXXIX.

---

24) Etym. Magn. l. l.

25) V. Steph. Byz. in *Ἐχέηδαι*. Ceterum est voci *Ἐχελιδών*, ut apud Photium legitur, omnino cum voce *Σικελῶν* similitudo; verum dictu arduum est, Photiine *Ἐχελιδών*, an *Ἐνεχελιδων* Hesychii (Etym. M. *Ἐνεχελιδώ*) praestet.

26) Thuc. VI, 4.

27) Herod. VII, 153.

28) Cf. Poppo Thuc. I, 2 p. 506.

ARGUMENTUM.

I.

I.

HEORTOLOGII SICULI INITIA.

Scribit Tyanensis Apollonius[1]: *αἱ ἑορταὶ νόσων αἰτίαι*: qui si verum sensit, nusquam gentium est minus, quam inter Syros Tarentinosque, valetudini consultum: etenim *ὁρταὶ καὶ πανηγύριες οὐδαμοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώπων τοσαίδε, ἢ ὅσαι ἐν Συρίῃ, ἀποδεδέχαται*[2], Tarenti vero *τὰς πανδήμους ἑορτὰς πλείους ἦγον κατ' ἔτος, ἢ τὰς ἡμέρας.*[3] His de feriarum apud Tarentinos frequentia narratis deme, quod exaggeratum verbis est: iam videbis

1) Epp XXIX, p. 393 Olear.

2) Lucian. de Dea Syr. c. 10.

3) Strabo VI, 3 p. 47 ed. ster. Eadem hyperbole utitur Aristophanes Acharn. 865 *πεινῶν ἀεὶ πλεῖν ἢ τριάκονθ' ἡμέρας τοῦ μηνὸς ἑκάστου*: etiam Polybius ap. Athenae. X, 418 B. *Βοιωτῶν πολλοῖς ὑπῆρχε δειλινὰ τοῦ μηνὸς πλείω τῶν εἰς τὸν μῆνα διατεταγμένων ἡμερῶν.* Dicunt autem libenter *τριάκοντα ἡμέρας* tum adiecta voce *μηνός*, tum omissa: Lucian. in Parasit. c. 15 *ὁ παράσιτος τοῦ μηνὸς τὰς τριάκονθ' ἡμέρας ἱερὰς ἄγει*: Antig. Caryst. ap. Athenae. XII, 547 E. *αὕτη ἡ ἀρχὴ ἦν .. τριάκονθ' ἡμέρας.* Cf. Elmsleium ad Aristoph. Acharn. p. 225 Dind.

culpam residere, si non omni Graeciae („Graecos otiosos et leves esse consensum"[4]) tamen plurimis ibi gentibus communem. Sicilienses etiam, id quod attendenti liquebit, multum se feriarum iucunditati dederunt ac plerisque, hoc unde sit, arduum dictu nequaquam videbitur, quod in tanta coeli clementia, „ubi etiam quum hiberno conduntur serena, nullo non die sol est"[5], ad laetitiam homines haud paullo invitentur frequentius. Dederim hoc, qui praesertim sciam, ingenio loci coelique posse vel Eudaemonicos effici, qui sibi persuadeant facile *τότε μάλιστα τοὺς ἀνθρώπους μιμεῖσθαι τοὺς θεοὺς . . ὅταν εὐδαιμονῶσι· τοιοῦτον δὲ καὶ τὸ χαίρειν καὶ τὸ ἑορτάζειν.*[6] Re etiam vera reperis Siculos inter ferias non inerti ac segni desidia torpescere, gaudio potius laetitiaque hilarius efferri; est ubi narrantur *περὶ τὰ ἀγάλματα τῶν Νυμφῶν παννυχίζειν ὀρχεῖσθαί τε περὶ τὰς θεάς*[7], saepius multo bibendi dulcedine capti esse, nam nullo paene die festo non illi producuntur *μεθυσκόμενοι*[8], *μεθύοντες*[9], *δαψιλεῖ οἴνῳ χρώμενοι*[10], *πρὸς πόσιν τετραμμένοι*[11], ita ut diu ante natum Aristotelem universa Sicilia videatur scisse, *μεθύειν* esse *τὸ μετὰ τὸ θύειν αὐτῷ*

---

4) Asconius in Verrin. I, 24 p. 320 Schtz.

5) Solin. c. 5.

6) Strabo X, 3. 357.

7) Timaeus ap. Athenae. VI, 250 A.; Fragm. Goelleri p. 236.

8) Timaeus l. c.

9) Polyaen. I, 43. 2.

10) Polyb. VIII, 37 p. 88 Schw.

11) Thuc. VII, 73.

χρῆσθαι.[12] Verum longe aberit ut credam, feriarum per Siculas urbes multitudini caussam praeter unum cessandi otiandique amorem (ἄνεσιν ἑορταστικὴν[13]) exstitisse nullam: quod qui existimat fuisse, is pervelim observet, ob quam laudabiles caussas festorum numerus dierum ibi sensim augescat. Quid enim? hoc in Siciliensium laude non ponam, quod, liberatae patriae oblivio ne subrepat, Ἐλευθέρια quotannis appararunt?[14] quod in capti memoriam Niciae Ἀσιναρίαν ἑορτὴν magnifice egerunt?[15] quod Timoleontis diem natalem festum habuerunt universi?[16] non ponam, quod Syracusani Marcellea (Marcelli beneficiis tributa) non sibi nisi maximo gemitu luctuque passi sunt eripi?[17] Nam dies festi et sollennes eo iustituti consilio, ut rerum olim vere gestarum memoria et recordatio repetatur, ut sunt egregii in patriam amoris documentum, ita prohibent etiam, ne qua natio a semet ipsa penitus deficiat.[18]

Hoc vero quamvis ita sit, tamen multo etiam frequentiores eae ibidem feriae inveniuntur, quibus

---

12) Athenae. II, 40 D. τὸ μεθύειν, φησὶν Ἀριστοτέλης, τὸ μετὰ τὸ θύειν etc. Egregie Archestratus ap. Athen. III, 101 D. τῶν Συρακουσίων ἀμέλησον, οἳ πίνουσι μόνον, βατράχων τρόπον cet.

13) Strabo l. c.

14) Diod. Sic. XI, 72.

15) Plutarch. Niciae c. 28.

16) Nepotis Timol. c. 5.

17) Plut. Marcell. c. 23. Cic. Verr. II, 21.

18) Hoc volui dicere: geschichtliche Erinnerungsfeste verhindern das gänzliche Erlöschen des Nationalsinnes. Die Juden geben dazu ein Beispiel.

Siculi agitandis erga deos suos pietatem ac venerationem significaverunt: ob eamque δεισιδαιμονίαν si sanctitate et vetustate pariter ac numero sacra feriaeque Cereales superant, eius rei caussa ratioque facile animadvertitur; namque „grata Cereri domus Sicilia, multas ibi possedit urbes,"[19] Cererem cum Libera ὁρᾷν ἔστι μάλιστα τιμωμένας παρὰ Σικελιώταις[20], ut in pauca conferam, Sicilienses quasi Cererosi fuerunt.[21] Horum sollennium nonnulla nunc accuratissime repraesentabo, hoc in incepto alias perrecturus, quoad Ἑορτολόγιον Siculum absolvero. Tu vero noli committere, ut propter Meursii de Graecia feriata[22] libros irritam eorum, qui ab integro huc decurrunt, operam arbitrere: is enim, rerum multitudine districtus, aliquammulta minus, quam par est, enucleate considerateque scribit, quoniam omnia, id quod a Meursiis et a Salmasiis aegre vitatur, una opera erat exhausturus.

---

19) Ovidii Fastor IV, 422.

20) Diod. Sic. V, 2.

21) „Δημητριόληπτος Cererosus" Cyrilli Glossar. p. 424 Thes. H. Steph.

22) Fasoldi Ἱερολογίαν et Castellani Ἑορτολόγιον (in Gronovii Thesauro) pro nihilo prae Meursii feriata Graecia duco. Iohnstonii de festis Hebraeorum et Graecorum schediasma nondum legi. Hermanni „Feste von Hellas" novi, sed parum eo me libro adiutum esse sentio.

A.

DE ANACALYPTERIIS HORUMQUE CUM ANTHESPHORIIS AC THEOGAMIIS CONIUNCTIONE.[23]

Prius, quam ipsa Ἀνακαλυπτήρια, Siciliensium sollenne, aggrediar, illustratum dabo, quae ei vocabulo vis subiiciatur: id per est accommodatum, verius necessarium exordio, quo sit reliquae narrationis non brevitas modo, sed perspicuitas maior; accedit, quod ita artis magistrorum praeceptioni satisfit, ut, „unde necesse sit, inde initium sumatur".[24] Si qui sunt talium quaestionum osores, praetermittant licet.

Nomen καλύπτρα interdum latius valet de iis omnibus, quibus alicuius rei adspectum amittimus: δνοφερὰς καλύπτρας de reconditis aedium locis dixit Aeschylus[25]; ὑψιλόφοιο φυτῶν ὑπένερθε καλύπτρης latet abditus apud Coluthum[26] Paris; καλύπτρην νιφετοῦ apud Callimachum[27] possis lacernam reddere: praeterea significat, ut ait Festus[28], „genus vestimenti, quo capita operiebant;" hinc in Callimacheo versiculo: προέχουσα κάρης εὐρεῖα καλύπτρη Ποιμενικὸν πίλημα[29]

23) Debebam scribere: „De Theogamiis horumque cum Anthesphoriis et Anacalypteriis coniunctione"; hic tamen dandum aliquid erat vulgatae opinioni tria sollennia sumenti.

24) Cic. Inv. I, 20.

25) Choëph. 807.

26) Rapt. Hell. 119.

27) Fragm. CXLII.

28) In voce Caliptra.

29) Fragm. CXXV.

recte intelligi videtur de capitis integumento, quod arcendarum fortasse pluviarum fuit.[30] Danaidum Σιδονία καλύπτρα apud Aeschylum[31] huc etiam pertineat. Et eam quidem in his locis potestatem habet καλύπτρα, aliquanto tamen saepius eo nomine notari videas muliebre capitis et faciei velamentum ornamentumque[32]: Homerus λιπαρὴν ἔῤῥιψε, μήτηρ, καλύπτρην[33]: Hesiodus κατὰ κρῆθεν καλύπτρην δαιδαλέην, Ἀθήνη, κατέσχεθεν[34]: Aeschylus πολλαὶ ἁπαλαῖς χερσὶ καλύπτρας κατερεικόμεναι[35]: Apollodorus τὴν καλύπτραν ἀφελομένη Ἡσιόνη, τῆς κεφαλῆς[36]: Plutarchus ἀπάγουσαι, Χαλκηδονίαι, θάτερον μέρος τοῦ προσώπου τῆς καλύπτρας[37]: Lucianus ὁ Ἔρως κατόπιν ἐφεστὼς ἀπάγει τῆς κεφαλῆς τὴν καλύπτραν καὶ δείκνυσι τῷ νυμφίῳ, Ἀλεξάνδρῳ, Ῥωξάνην[38] et saepius. Hic Luciani locus, ut Archilochi Epigramma[39]: Ἀλκιβίη πλοκάμων ἱερὴν ἀνέθηκε καλύπτρην Ἥρῃ, εὖτ' ἐκύρησε γάμων, testimonio sunt, καλύπτραν cum Romanorum paene flammeo convenire.[40]

30) Vide Perizonium ad Aeliani V. H. VII, 9.

31) Supplic. v. 128.

32) Hesychius in Καλύπτρα: κόσμητρα κεφαλῆς καλύμματα.

33) Iliad. XXII, 406.

34) Theogon. 574.

35) Persarum v. 537.

36) Bibl. II, 6. 4 H.

37) Quaest. Gr. p. 302 F.

38) Herodot. s. Aet. c. 5.

39) Fragm. ed. Liebel. p. 185.

40) Vide Perizon. ad Aeliani l. c.

Cognosce iam reliqua. Nuptiarum sollennitati velata flammeo (*καλύπτρᾳ*[41], *καλύμματι*[42]) sponsa intererat (*πάνυ ἀκριβῶς ἐγκεκαλυμμένη*[43]): sed quo illa die, amoto flammeo, conspiciendam sese retecto vultu praeberet, *ἀνακαλύπτεσθαι* dicebatur: *ὅταν πρῶτον ἀνακαλύπτωνται ἐν τῇ ἑστιάσει τῶν γάμων, τοῖς ἀνδράσι καὶ τοῖς ἑστιωμένοις ὁρώμεναι*[44]: *ὅταν πρῶτον ἀνακαλύπτωνται ὥστε ὁραθῆναι τοῖς ἀνδράσιν*[45]: *ὅταν πρῶτον ἀνακαλύπτωνται τοῖς ἀνδράσι καὶ τοῖς συγγενέσιν ὁρώμεναι.*[46] Huc pertinet Evangeli fabula *Ἀνακαλυπτομένη*[47], item fabula Philemonis, sive ea *Ἀνακαλυπτήρια*, sive, quod longe praestat, etiam *Ἀνακαλυπτομένη* inscripta fuit.[48] Ex dictis simul iudicatote, quam scite Synesius verbi huius (*ἀνακαλύπτεσθαι*) honestatem ad calvorum capita effluentibus capillis transferat[49].

At quoto post nuptias die sponsa esse coepit *ἀνακεκαλυμμένη*? Spanhemius[50] cum aliis quibusdam identidem „tertio a nuptiis die" respondent, verum addere, hoc unde didicerint, obliti: ac-

---

41) Euphorion. Fragm. 114. Polluc. III, 37.

42) Aeschyl. Agamemn. 1160 *ἐκ καλυμμάτων δεδορκὼς .. νεογάμου νύμφης δίκην.*

43) Lucian. Conviv. c. 8.

44) Lex. rhet. Bekk. p. 200, 6. Zonar. Tittm. p. 189. Anecd. Bachmanni I, 83.

45) Harpocratio cum Suida in *Ἀνακαλυπτήρια.*

46) Scholl. ad Euripid. Orest. 284 M.

47) Ap. Athenae. XIV, 644 E.

48) V. Menandri et Philem. reliqui. p. 359 ed. Mein.

49) V. Petavinm ad Synesii Encom. calv. p. 28.

50) Ad Callimachi H. in Dian. 74.

curatius eandem sententiam defendit Ioannes Toupius [51] innitens tum Hesychii testimonio dicentis Ἀνακαλυπτήριον: ὅτε τὴν νύμφην πρῶτον ἐξάγουσι τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ [52], tum Petronii, Repotia itidem in tertium diem conferentis. Res erit in ambiguo relinquenda, quum ipsi veteres haesitarint; nam Suidas alterne an tertius dies ἐπαύλια fuerint, etiam esse dubitatum narrat [53]: quae ἐπαύλια ab ἀνακαλυπτηρίοις verbo, non re differunt, ipso Suida [54] auctore: Ἀνακαλυπτήρια . . . ἔστι δὲ ταῦτα καὶ ἐπαύλια. Utut fuit, quo se primum die sponsa revelavit, hunc Graeci vocitarunt Ἀνακαλυπτήρια dixitque ἄγειν τὰ Ἀνακαλυπτήρια de nuptiarum celebritate Philostratus [55], immutans pro toto partem; ἁρπάζειν ἀνεψιὰν ἐκ τῶν Ἀνακαλυπτηρίων Longinus [56]: Hermocrates [57] autem quum non Ἀνακαλυπτήρια sibi, sed Ἐγκαλυπτήρια potius esse agenda dicit, hoc ille perquam festive iocatur, ut qui esset turpiculam nactus. Illo Ἀνακαλυπτηρίων die munera sponsae oblata esse novimus eaque meo periculo Ἀνακάλυπτρα vocantur: in integro enim loco Ἀνακάλυπτρα τῇ νύμφῃ legis [58], adde quod ἀνακάλυπτρον ut specie, ita significatione congruit ad θρύμακτρον [59], δίδακτρον, σῶστρον,

51) Ad Longinum p. 252 ed. Weisk.

52) V. Hesych. in Ἀνακαλυπτήριον.

53) Suid. in Ἐπαύλια, cf. intpp. ad Alciphr. III, 49.

54) In v. Ἀνακαλυπτήρια.

55) De Vitt. Sophist. II, 25.

56) De sublim. IV, 5.

57) Apud Philostratum l. c.

58) Ap. Diodor. V, 2; ubi corrigit unus Wesselingius.

59) V. Dissertatt. Sic. T. I, p. 186.

μαίωτρον[60], *ἅρμοστρα*[61] etc.; in locum autem formae contractioris (*ἀνακάλυπτρον*) successit tum *ἀνακαλυπτήριον*[62], tum crebrius (multiplex enim ornatus dari consuerat[63]) *ἀνακαλυπτήρια*: sic igitur *οὐ μόνον ἡ ἡμέρα .. καλοῖτ' ἄν, ἀλλὰ καὶ τὰ δῶρα.*[64]

Iactis demum his quasi fundamentis veniat, quam mihi fore primariam significavi, quaestio. Et hic quidem exordirer a narratione, quibus potissimum e locis abductam Liberam tradat fabulosa antiquitas, nisi post tantam alienam industriam[65] id longum molestumque esset. Dictu enim incredibile, quanta locorum terrarumque multitudo velit Orci nuptiis interesse; ubi Cereris fabulae et sacra essent, ibi, quod deerat, modo poetarum benignitas („poetis licet quidquid velint[66]"), saepius soli patrii amor et, ne quid aliis

60) Moschopul. *περὶ σχεδῶν* p. 65.

61) Cyrilli Glossar. p. 396 Steph. *Ἁρμοστρα*: sponsalia: singulare non habet.

62) Plut. Timol. c. 8; hunc singularem recte lexicis inferri vult Osannus Auctar. Lex. p. 173.

63) V. Suid. Etym. et Phot. in *Ἐπαύλια*, Scholl. ad Eurip. Orest. 284 M.

64) Polluc. III, 36. Ceterum ex h. l. Pollucis reliqua horum munerum disces nomina: Hesych. *Ὀπτήρια: τὰ ἐν τοῖς Ἀνακαλυπτηρίοις διδόμενα δῶρα.* In Harpocrationis verbis „*ἀνακαλυπτήρια δ' εἰσὶ τὰ παρ' ἡμῖν θεώρετρα*" scribe *θεώρητρα*, producta vocali; Schneiderus utramque formam suspectat.

65) V. Spanhem. ad. Callim. p. 752 Ern., Ruhuken. ad H. in Cererem 17; Heyn. Observatt. ad Apoll. p. 25; I. H. Voss. H. an Demeter p. 45.

66) Lactantius de fals. relig. I, 21.

cederetur, supplevit.[67] Inter eas autem, quae de rapta Libera gloriabantur, terras eminet nobile par insularum, Cretam dico et Siciliam: erit tamen, qui insuper nisi Con[68], certe Lesbum appellatam cupiat, quia *Δημάδης ἐν νάπαις ἡρπάσθαι φησίν*[69], ubi facili negotio queat *ἐν Νάπαις* vel *ἐκ Νάπης*[70] corrigi; sed aliunde de re deque eius auctore Demade[71] non docemur. De duabus igitur iis, quas dixi, insulis prior quidem, Creta, Proserpinam abripi etiam vidit, Bacchylide auctore: *Βακχυλίδης ἐκ Κρήτης ἡρπάσθαι φησίν*[72]: at aliquanto vulgatior fuit, qua idem ille raptus Siciliae assignabatur, fabula; quanquam minime, ut in patriae gratiam Siculus scribit[73], *συμπεφώνηται*. Ceterum super ea etiam Siciliae parte, unde sit abrepta virgo, nonnihil est dissensionis; pars „in Aetna monte"[74] evanuisse, ceteri cum rapta „ex Ennensium nemore"[75] (*ἐν τοῖς λειμῶσι τοῖς κατὰ τὴν*

67) Cf. Kann. ad Conon. p. 96

68) Scholl. Theocr. Id. VIII, 5.

69) Scholl. in Hesiodi Theogon. 914.

70) Steph. Byz. *Νάπη, πόλις Λέσβου· Ἑλλάνικος ἐν β' Λεσβιακῶν ὁ πολίτης Ναπαῖος· καὶ Ἀπόλλων Ναπαῖος.*

71) In c. l. Scholiorum variat lectio: *Δημέας, Δημαίας*, Gaisford. *Δημάδης*. Etym. M. 265, 12 *ἀπὸ τοῦ Δημέας γίνεται Δημεάδης· καὶ κατὰ συναίρεσιν, Δημάδης*. Suidas in *Δημάδης, Ἀθηναῖος ῥήτωρ . . . ἔγραψεν . . . ἱστορίαν περὶ Δήλου καὶ τῆς γενέσεως τῶν τῆς Λητοῦς παίδων.*

72) Scholl. Hes. l. c. Fragm. ed. Neue p. 69.

73) Diod. V, 69.

74) Hygin. f. 146., Philargyr. ad V. Ecl. III, 104., Scholl. Pind. p. 429 Bckh., Moschi Id. III, 128.

75) Cic. Verrin. IV, 48. Solin. c. 11.

Ἔνναν[76]) puella Ditem patrem ad πηγὴν Κυανὴν[77] „non longe a Syracusis penetrasse sub terras"[78] ferunt. Errat Vossius quum scribit[79]: die Sikelioten sagen, sie, Persefone, sei um Aetna's Wiesen geraubt worden, das heifst, um die Stadt Enna, die nach Hierons Tode den Namen Aetna erhielt, nimirum τὶν Κατάνην μετωνόμασεν Ἱέρων Αἴτνην.[80]

Quem Liberae raptum si sibi Sicilienses obstinate tribuunt, sua sibi auferri nolunt, nam Δήμητρος ἀντιποιοῦνται, φάμενοι παρ' αὐτοῖς τὴν θεὸν γεγονέναι[81], vel cum Hephaesto περὶ τῆς χώρας ἐρίσαι[82]: eaque illis opinio iniecta est tum propter eximiam insulae fertilitatem, tum quod Cereri eiusque filiae honores a se habitos scirent, quoad longissime possent respicere[83]. Atque hoc, non antiquitate, non sanctitate ullum apud se numen deabus his antecedere, hoc, inquam, paullo ambitiosius et plus una ratione significarunt, modo, ut ante dixi, „natas esse has in his locis deas" memorantes[84]; modo fuisse τὴν πᾶσαν Σικελίαν ἐξ ἀρχῆς τῆς Δήμητρος

76) Diod. V, 3. Aristot. Mirabil. c. 83, nam hic Ἔννη pro Αἴτνη legis recte.

77) Diod. V, 4.

78) Cic. Verrin. l. c.

79) Hymne an Demeter p. 7 Erläutergg.

80) Diod. Sic. XI, 49.

81) Aristotel. Mirabil. l. l.

82) Scholl. Theocr. Id. I, 65.

83) Hoc est ab eo inde tempore, quo insulam insederant, nam haec sacra coloni attulerunt, cf. Müller. Dor. I, 400.

84) Cic. Verr. IV, 48.

καὶ Κόρης[85]: interdum *ἱερὰν ὑπάρχειν τὴν νῆσον Δήμητρος καὶ Κόρης*[86]: idem etiam ornatius et magis more poetarum praedicarunt hoc modo: *τὰν νᾶσον Ζεὺς ἔδωκε Φερσεφόνα*[87]: *Δία τῇ Περσεφόνῃ τὴν Σικελίαν δωρήσασθαι*[88]: tandem *ἀνακάλυπτρα τῇ νύμφῃ δεδόσθαι ταύτην τὴν νῆσον*[89], videlicet in Plutonis et Liberae nuptiis, die, ut homines fuissent locuturi, *Ἀνακαλυπτηρίων*. At Iovis hanc liberalitatem vehementer imminuit veterum Criticorum unus, quo auctore non tota Sicilia, sed tantum *ἡ ἐν Σικελίᾳ Ἀκράγας Περσεφόνῃ ἐδόθη εἰς ἀνακαλυπτήρια*[90]: alter non Siciliam vel Agrigentum, *τὰς Θήβας* tradit *δεδόσθαι τῇ Περσεφόνῃ ἀνακαλυπτήρια*[91] et fertur adeo *Κύζικος ἐμπροίκιον ὑπὸ Διὸς τῇ Κόρῃ δοθῆναι.*[92] In tanta

85) Scholl. Pind. p. 429 Bckh

86) Diod. V, 2. 69. XIII, 30. XVI, 66.

87) Pindar. Nem. I, 14. 15. Similiter *οἱ βάρβαροι ἔλεγον, ὅτι Δήμητρι καὶ Διονύσῳ Ζεὺς τὴν χώραν τὴν τῶν εὐκάρπων* (l. *Εὐκαρπέων*) *δοίη*: ap. Steph. Byz. v. *Εὐκαρπία*.

88) Scholl. Theocr. Id. XV, 14. Scholl. Pind. p. 421. Idem prodidisse dicuntur „Theagenes et Apollodorus Cyrenaicus" ap. Natal. Com. III, 16: sed unde hauserit Comes, nescio; v. Heyn. Apollodori Fragm. p. 453. De donata Proserpinae Melita somniat Abela illustr. Malta p. 164 Thes. Sic. vol. XV.

89) Diod. V, 2. Plut. Timol. c. 8. Scholl. Pind. p. 429.

90) Scholl. Pind. p. 61.

91) Euphorio in Scholl. ad Euripidis Phoeniss. 682 M., Fragm. Mein. p. 114.

92) Appiani Mithridat. c. 75. Adverte formam nominis *τὸ ἐμπροίκιον* i. e. *τὸ ἐν προικὶ διδόμενον*, quod dotis loco datur; persimile est *τὸ ἐνοίκιον* habitationis merces, cf. Plut. Syll. c. 1.

mythorum congruentia fieri paene haud potuit, ut non quaereretur, haec fabula unde primitus emanavisset. Ac Müllerus quidem [93] in hac perstat sententia, vetustiorem esse de Thebis tanquam nuptiali Liberae dono fabulam atque inde non ad Cyzicenos modo, sed ad Sicilienses propagatam. Itaque cum Cyzicenis communicatam scribit per Tyrrheno-Pelasgos, quibus e Boeotia profectis Cyzici origines debeantur. Verum hoc qui credant, an sint multi futuri, nescio; hoc scio, Pelasgorum manum, Cyzici parentem, e Thessalia potius arcessi ab Ephoro, Diiocho sive Deilocho [94], Conone. [95] Eandem fabulam Müllerus [96] ut e Boeotia in Siciliam inprimisque Agrigentum traducat, de Emmenidarum origine Cadmea [97] admonet, qui, pia patriae religionis recordatione, Agrigentum etiam tanquam Liberae ἀνακάλυπτρον praedicassent: ita ut, quod angustius olim de Agrigento solo ferretur, temporis progressu evaluisset in Siciliam universam. Ego vero virum doctissimum et sollertissime rimantem ne hic quidem sequi possum; Mülleri enim et hoc erat, docere, qui acciderit, ut reliqua Sicilia fabulam propriam Agrigenti esset de se praedicatura. Universa Sicilia pro Liberae ἀνακαλύπτρῳ nec potuit haberi et noluit, nisi maior insulae pars Cereris filiaeque religionem habuisset: eam autem religionem non quidem

93) Dor. I, 401. Proleg 155.

94) Scholl. Apoll. Rh. I, 949. 961. 987. 1031.

95) Narrat. XLI ed. K.

96) De Orchomen. p. 217. Proleg. l. c.

97) Scholl. Pind. p. 58. 60. 62 Bckh.

Gela et Agrigentum, sed reliquarum urbium bona pars ab illustriore et (ut etiam est creditum [98]) vetustiore dearum sede, Syracusis Ennaque [99], adsciverit: quod ut fieret, reliqua etiam Syracusarum auctoritas nonnihil moverit, erant enim vere *νάσω Τρινακρίας μυελός.* [100] Quare existimem fuisse ceteram Siciliam cum Syracusis quam cum Agrigento artiore quasi vinculo coniunctam atque difficulter talia, si Agrigentinis patria et domestica essent, per universam Siciliam permanavisse. Super haec omnia etiam atque etiam vide, ne paucula Scholiastae verba nimium ponderis acceperint; videlicet interpretandum est Pindaricum illud: *Ἀκράγας ἱερὸν οἴκημα ποταμοῦ* [101]: Scholiastarum unus [102], *ἱερόν,* inquit, *ἢ τὸ μέγα ἢ τὸ ἔχον ἱερὰ ἢ ὅτι ἡ ἐν Σικελία Ἀκράγας Περσεφόνῃ ἐδόθη εἰς ἀνακαλυπτήρια*: ad incitas redactus molitur, rimatur, tandem eo adducitur, ut, quod de toto (Sicilia) novit, in partem (Agrigentum) inclinet; similiter Pindarus dicit Agrigentum *Φερσεφόνας ἕδος* [103], ubi, iudice Scholiasta [104], *ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον ἔφη· ὅλην γὰρ τὴν Σικελίαν ἐδωρήσατο τῇ Περσεφόνῃ ὁ Ζεύς.*

Unum restat ad enodandum, Sicilienses an raptus Liberae nuptiarumque memoriam servaturi sacra etiam ac ferias agitaverint: quod pro certo

---

98) Valer. Max. I, 1. 1.

99) *Ἔννα, κτίσμα Συρακουσίων* Steph. B.

100) Theocr. Id. XXVIII, 17. 18.

101) Olymp. II, 10 Bckh.

102) Scholl. Pind. p. 60.

103) Pyth. XII, 2.

104) Scholl. Pind. p. 421.

affirmare haudquaquam vereor; idoneus enim scriptor tradit fuisse *Κόρης παρὰ Σικελιώταις Θεογάμια καὶ Ἀνθεσφόρια*[105]: adde quod, teste non minus locuplete, *ἐν τῇ Σικελίᾳ τὰ τῆς Περσεφόνης Ἀνακαλυπτήρια ἐτελεῖτο*[106]: quae sollennia ut eo, quorsum dixi, manifesto pertinent, ita quasi inter se vinculo cohaereant, non clarescit continuo. Hoc igitur, connexa ne dirimantur amplius, exponam.

Quemadmodum Athenienses *ἑορτὴν Διὸς ἦγον καὶ Ἥρας, Ἱερὸν γάμον καλοῦντες*[107], peraeque Iovis Iunonisque nuptias sacro anniversario Cretes recoluerunt; *λέγουσι γάμους τοὺς Διὸς καὶ Ἥρας ἐν τῇ Κνωσσίων χώρᾳ γενέσθαι κατά τινα τόπον, καθ' ὃν νῦν ἱερόν ἐστιν, ἐν ᾧ θυσίας κατ' ἐνιαυτὸν συντελεῖσθαι· καὶ τοὺς γάμους ἀπομιμεῖσθαι, καθάπερ ἐξ ἀρχῆς γενέσθαι παρεδόθη.*[108] Per his similia esse debuerunt Siciliensium *Θεογάμια*, nisi quod Plutonis et Liberae fuerunt: primum haec Theogamia, quamvis incognitum qua anni tempestate, tamen esse etiam singulis annis celebrata arbitror, nam *πρὸς τῇ Κυανῇ πηγῇ κατ' ἐνιαυτὸν Συρακούσιοι πανήγυριν ἐπιφανῆ συντελοῦσι*[109] festosque ad eum lacum dies usque ad Ciceronis tempus anniversarios egerunt[110]: spectat autem

105) Polluc. Onomast. I, 37.

106) Scholl. Pind. p. 153.

107) V. Photii Lex. p. 90 ed. nov. Aliter fragmentum Cantabrigiense ib. p. 581 *Ἱερὸς γάμος: οἱ γαμοῦντες ποιοῦσι τῷ Διὶ καὶ τῇ Ἥρᾳ ἱεροὺς γάμους.*

108) Diod. Sic. V, 72.

109) Diod. V, 4. IV, 23.

110) Verrin. IV, 48.

procul dubio uterque locus ad Theogamia, siquidem ea spelunca vel is lacus per occasionem raptus exstitisse creditus est; deinde eodem, quo Cretenses, modo Siculi non sacrificiis tantum, sed caerimoniis, quibus mythicas nuptias quasi repraesentarent, hos dies videntur consecrasse, velut si ταύρους βυθίζουσιν ἐν τῇ λίμνῃ etc. [111] Quanta vero urbium Sicularum pars Theogamia habuerit apud se instituta, liquido dici nequit; Dorvillius [112] certe manibus pedibusque ereptum ivit Agrigentinis et, quam id recte faciat, nescire se Böckhius [113] fatetur: contra Odofr. Müllerus, qui sollennia et ipsa Thebis arcessit [114], sibi non nolens constare, ad Agrigentum erit vel maxime vindicaturus. Theogamiis saltem Syracusae vacarunt, quarum imitandarum studio haud paucae per reliquam insulam civitates videantur cessisse. Pergo ad reliqua: horum, quae loquor, Theogamiorum (totius sollennitatis hoc est nomen Θεογάμια [115]) diem priorem fuisse existimo τὰ Ἀνθεσφόρια: nimirum Plutarchus, λέγεται, inquit [116], μῦθος,

111) Diod. l. c. Similem panegyrin ἐν τοῖς Ἀχαράκοις describit Strabo XIV, p. 189 ster. ibidemque Θεογάμια fuisse contendit ex nummis Spanhem. ad Callim. p. 752.

112) In Siculis p. 104.

113) Explicatt. Pind. p. 123.

114) Dor. I, 400.

115) Sic cum Polluce l. c. sollenne ipsum appellabis. Praeterea nomen Θεογάμια in quibusdam minoris Asiae nummis sed iis aevi sequioris vidit Spanhemius ad Callim. p. 752 Ern.; aliud est Θεογαμία, de Pisandri opere Ἡρωϊκῶν v. Heyn. Observatt. ad Apollod. p. 169 et Excursum I ad II Aeneidos p. 317.

116) Quaest. natur. p. 927 E. Diod. V, 3.

ὡς τὴν Κόρην ἀνθολογοῦσαν ὁ Πλούτων ἁρπάσειεν eoque accuratius Pamphus [117] narrat *ἁρπασθῆναι παίζουσαν καὶ ἄνθη συλλέγουσαν* vel ut ait Hymnodus, *ἄνθεα αἰνυμένην* [118]: hinc facile ut credam moveor, eo die aut offerri Liberae, ut aliis quibusdam deabus [119], consuesse coronas ex *ἄνθεσι καὶ κλάδοις τοῖς προσήκουσι καὶ νενομισμένοις* [120] nexas, aut mulieres virginesque sertis floreis redimitas (in pompa forsan) incessisse. Non dico hoc ita esse factum, sed potuisse fieri censeo, quiddam geminum e simili caussa alibi ortum videns: *τὴν Κόρην πεπιστεύκασιν ἐκ Σικελίας ἀφικνεῖσθαι δεῦρο, ἐς τὰ περὶ Πανδοσίαν καὶ Ἱππώνιον, ἀνθολογήσουσαν. ἐκ δὲ τούτου ταῖς γυναιξὶν ἐν ἔθει γεγονέναι ἀνθολογεῖν καὶ στεφανοπλοκεῖν, ὥστε ταῖς ἑορταῖς αἰσχρὸν εἶναι στεφανοὺς ὠνητοὺς φορεῖν.* [121] His lectis ernnt adeo, qui hoc Italicae consuetudinis e Sicilia repetant. Potuernnt denique, quae intererant virgines mulieresque, *Ἀνθεσφόροι* (*Ἀνθεσφόρων* Iunonis Argivae mementote [122]) indeqne ipse sollennis dies *Ἀνθεσφόρια* vocari.

Iam vero ut *γάμον* cniusvis secundus dies vel tertius [123] est appellatus *Ἀνακαλυπτηρίων* nomine, ita

117) Pausan. Boeotic. c. XXXI, 6. Scholl. Sophocl. Oed. Col. 674; Athen. XII, 554 B. *αἱ περὶ τὴν Περσεφόνην ἀνθολογεῖν λέγονται.*

118) H. in Cerer. 6.

119) V. Boeckhii Explicatt. Pind. p. 577.

120) Artemidor. II, 33 Reiff.

121) Strabo VI, p. 8 ed. stereot.

122) V. Polluc. IV, 78. Cf. Meursii Graec. feriat. in *Ἀνθεσφόρια.*

123) V. initium dissertationis.

Siculorum Θεογαμίων alterum tertiumve fuisse Ἀνακαλυπτήρια fidenter dico.[124] Eo autem die quid potissimum caerimoniarum sit factitatum, ignoro[125]; nec ad id locorum inaudivi, in qua extra Siciliam civitate publicum eius nominis sollenne fuerit; Synesius[126] quidem, Ἐλευσὶς, inquit, ἄγει τὰ Δήμητρος Ἀνακαλυπτήρια, verum is, pusillus philosophus verborumque deditus splendori, Eleusinia cupit intelligi, quae sic, praeterquam Synesio, appellantur nemini.

Hoc est denique, quoniam loci commoditas supra defuit, nunc in extrema dissertatione addendum, e Siciliensium Theogamiis potuisse Orci Nuptias proseminari, quas tanquam Romanorum sollenne memorat Servius[127]: „aliud est sacrificium, aliud nuptias Cereri celebrare: in quibus revera vinum adhiberi nefas erat: quae Orci Nuptiae dicebantur, quas praesentia sua pontifices ingenti sollennitate celebrabant."

In Lysiae περὶ τῶν ἀνακαλυπτηρίων oratione (sic enim inscripserat, teste Sophista Theone[128]) nihil quidquam fuit de cognominatis feriis lectitatum.[129]

---

124) Anacalypteria pro parte Theogamiorum habet etiam Müller. Dor. I, 401. Prolegg. p. 155.

125) De Anacalypteriis egerunt quoque Octavius Caietanus Isagog. in histor. sacr. Sic. p. 19. Thes. Sic. vol. II. et Vincentius Mirabella ad Numism. Syr. p. 162. Thes. Sic. vol. XI, neuter tamen quidquam vidit.

126) Encom. calvit. p. 70 A. Pet.

127) Ad Virgil. Georg. I, 344.

128) Progymnasm. c. 2 p. 20 ed. 1626.

129) Eo in λόγῳ quid sit quaesitum, narrat Theo l. c.; cf. Maussac. ad Harpocr. p. 92 et Vales. in nott. Maussaci p. 422 ed. nov. Lips.

B.

THESMOPHORIORUM INTER SICILIENSES SOLLENNIA.

Duo inventi sunt, qui in Thesmophoriis civitatum Graecarum separatim explorandis elaborarint; alter homo Gallus haud spernenda doctrina, Dutheilius [1]; alter Germanus laudabili antiquarum rerum studio, Augustus Wellauer [2]: sed utriusque acies oculorum haud paullo Atheniensium, quam ceterae Graeciae, Thesmophoriis attentius immoratur, nominatim Siciliensia minus, quam pro insulae dignitate, lucis acceperunt. Et his forsitan longius a re proposita discedere non placuit; Siculis enim Thesmophoriis perparum luminis affundat, qui simul ad Liberae sollennia, quae cum matre illi communia non sunt, nolit evagari.

„Thesmophoria vocantur Cereris sacra" [3], quam, quia *νόμους εἰσηγήσατο, φασὶ Θεσμοφόρον ἐπονομασθῆναι* [4], h. e. quia, ut ait Calvus [5],

> . . Leges sanctas docuit et cara iugavit
> Corpora connubiis et magnas condidit urbes.

Et haec potissimum caussa ratioque cur illi appellationi subesse dicatur, dudum et intellectum est

1) Recherches sur les Thesmophories par Du Theil in Memoires de l'Academ. T. 39 p. 203 sqq.

2) De Thesmophoriis disseruit A. W. Vratisl. 1820. 8.

3) Serv. in Aeneid, III, 58. Scholl. in Thebaid. Statii II, 382.

4) Diod. I, 14. V, 5. 68.

5) Apud Servium l. c.

et explicatum [6]: ita ut neminem ultra ad suam sententiam facile traducat auctor nescio quis [7]: „quia in aede Cereris aeri incisae leges positae fuerunt." Praeterea hoc appellationis a matre nonnunquam in filiam Proserpinam transiit, haud dubie „ob intimam cum Cerere coniunctionem" [8]: unde apud Pindarum [9] separatim invocatur Proserpina *Θεσμοφόρος*, saepius apud Comicum [10] et alios [11] iunctim *αἱ Θεσμοφόροι*. Semus autem *ἐν ὀγδόῳ Δηλιάδος* [12] quum scribit: *Ἀχαΐνας* (panis quoddam genus est) *ταῖς Θεσμοφόροις γίνεσθαι*, videatur *Θεσμοφόρους* nominare, quae alias *Θεσμοφοριάζουσαι* usurpantur; nisi praestat interpretari „in honorem Legiferarum", ut Heraclides etiam loquitur [13]: *μυλλοὺς περιφέρεσθαι ταῖς θεαῖς*. De Dionysii fabula *Θεσμοφόρος* inscripta [14] certo nihil scio, nisi hoc, eam a Siculo purpurato poeta scriptam non esse. [15] Photio [16] et *ὁ Θεσμοφόρος* occurrerat, mihi non item.

Dutheilius, presque toutes les villes de la Sicile, inquit [17], avoient des temples de Cérès -

---

6) Cf. Macrobii Saturn. III, 12.

7) Ap. Serv. l. c.

8) Böckhius ad Fragm. Pind. p. 564.

9) In Fragm. l. c.

10) Thesmoph. 289. 303 al.

11) V. Anthol. Palat. II, p. 875.

12) Athenae. III, 109 E.

13) Vide paullo post.

14) Athen. IX, 404 E.

15) Cf. Meinek. ad Euphor. p. 165 s.

16) In Lex. v. *Θεσμοφόρος: ὁ τοὺς νόμους ἐπιφερόμενος.*

17) Memoires l. c p. 208.

Thesmophore: hoc unde compererit, miror; putem nihil eum aliud voluisse dicere, nisi in tanta Cerealium sacrorum apud Siculos sanctitate non immerito putari, Thesmophoria plerisque insulae urbibus fuisse communia. Quo nihil verius esse exemplo demonstrabo: quae Catinae per mulieres ac virgines confecta esse legimus sacra Cereris [18], ex his facile extundimus Catinensium Thesmophoria [19], tametsi nemo veterum diserte appellet. Atque ita res Siculas scripturo persaepe occasio praebetur detestandi pravam scriptorum consuetudinem, modo duobus illis insulae oculis, Agrigento et Syracusis, crebrius unis Syracusis omnia posthabentium, praesertim ex quo *Διονύσιος εἰς μίαν πόλιν ἤθροισε πᾶσαν Σικελίαν.* [20] Non de nihilo queror: nam e certis veterum testimoniis itidem Thesmophoria Agrigentina et Syracusana sola novimus; de quibus sic commentari animus est, ut Agrigentinis (horum est perobscura historia) subiiciantur Syracusana.

---

18) Cic. Varrin. IV, 45. V, 72.

19) Nota sunt sollannia, quae hodierni Catinenses in honoram s. Agathae celebrant: haeo inter et vaterum Catinensium Cerealia aliquid similitudinis intaroadera pridem notavit Guarnerins in Diss. da Catanae origine et de translatione s. Agathae (Thes. Sic. vol. XI init.) et nuper admodum Blunt in vestiges of ancient manners and customs etc. Lond. 1823. cap. 4 p. 54 sqq. interpret. Teut. In inscriptiona Catinensi apud Murator. Thes. I, p. 40 no. 3 mamoratnr *Περσεφονη Βασιλις*: similis est Tarentinorum *Ἀφροδίτη Βασιλὶς* apud. Hesych. in *Βασιλίνδα*.

20) Plato Epp. VII p. 58 ed. Basil. 4.

Cererem esse Agrigenti cultam non memini qui veterum [21] scriptorum plane prodiderint, colligimus tamen primum e nummis Parutae [22] et aliorum [23]; deinde quum Liberae ibi religio fuerit [24], non est credibile, posthabitam filiae matrem fuisse; etenim Graeci ὁμοῦ καὶ περὶ τὸν αὐτὸν τόπον ἀμφοτέρας εἶναι [25] existimarunt consociataeque cum alibi visuntur, tum Syracusis. [26] Itaque mirandum non est, etiam in Agrigentina civitate, ut „in plerisque [27] Doriensium" sollennia Thesmophoriorum reperiri [28]: inter quae circumventi olim Agrigentini iugum subierunt; videlicet Phalaris Θεσμοφορίων ὄντων ἐπιθέμενος, τοὺς πλείστους τῶν ἀνδρῶν ἀποκτείνας, γυναικῶν καὶ παίδων κύριος καταστὰς ἐτυράννησε τῆς πόλεως. [29] Hoc si ita gestum est, captatum esse tempus existimem, quo sacris mulieres operabantur, exclusi autem viri facile, ne muliebri quidem manu adiuti, contrucidari poterant. Ceterum hoc Agrigentinum sollenne, siquidem illo Phalaris rerum potitus est, satis esse

---

21) Cereris Agrigentinae templa memorat Kephalides Reise I, 284. 295. Alatae Cereris imaginem Agrigenti sibi videtur vidisse Münter. Antiquar. Abhandl. p. 160.

22) Sicil. Numism. p. 431—34.

23) V. Dorvillii Sic. p. 98.

24) V. supra, ubi de Anacalypteriis.

25) Plutarch. de facie p. 942 D. Scholl. in Eurip. Phoeniss. 687 ἐμυθεύσαντο Δήμητραν ἐν Θήβαις οἰκεῖν, ἐξ ἀνάγκης δὲ καὶ τὴν αὐτῆς θυγατέρα.

26) Pind. Olymp. VI, 95.

27) Müller. Aeginet. p. 147.

28) Polyaen. V, 1; cf. Dutheil. p. 209; Wellauer. p. 45.

29) Polyaen. l. c.

antiquum clarescit [30]; allatum vero e Gela, Agrigenti parente [31], ubi *Χθονίων Θεῶν* [32] (Cereris et Liberae [33]) antiqua religio fuit, nescio quid prohibeat dicere. Contra Cretibus aliis ne haec et talia Gelenses debeant, in incerto habeo: mensis Cretensium Thesmophorius in vetere Hemerologio [34] fertur.

Haud paullo plus, quam Agrigenti, ad disserendum materiae invenitur Syracusis, ubi habitas easdem Thesmophoriorum ferias esse tradidit Heraclides Syracusius in libro *περὶ Θεσμῶν* [35], quem scriptorem hauddum melius Mongitore [36] et Meursio [37] novi. Sed altius res ordienda.

Quemadmodum mensis cuiusdam unus pluresve dies festi *ἱερομηνία* dicuntur: *ἱερομηνίαι λέγονται αἱ ἐν τῷ μηνὶ ἱεραὶ ἡμέραι οἱαιδήποτε θεοῖς ἀνειμέναι* [38]: sic solidos integrosque menses diis modo sacros, modo dilectos haberi animadvertimus propter dierum per eosdem sollennium frequentiam, uti *μεὶς .. ὃν φίλασ' Ἀπόλλων* [39] est *μὴν Δελφίνιος Δελφινίου*

30) V. Sieg. Havercamp. ad Parutae l. c.

31) Thuc. VI, 4 *Γελῶοι Ἀκράγαντα ᾤκισαν .... νόμιμα τὰ Γελῴων δόντες.*

32) Herod. VII, 153.

33) V. Böckh. ad Scholl. Pind. p. 314.

34) V. Castelli Prolegg. ad inscript. Sicil. p. LXXI; cf. Paciaudi Monum. Peloponn. I, p. 180.

35) Athen. XIV, 647 A.

36) Biblioth. Sic. I, 269.

37) In dissertat. de Heraclide aliisque eius nominis auctt. p. 125 T. V Opp.; idem ad Chalcid. p. 274 T. VI.

38) Scholl. Pind. p. 441 B.

39) Pind. Nem. V, 44.

Ἀπόλλωνος ἱερός[40]: est etiam, ubi ab his ipsis diebus nomen sortiti reperiuntur; *μηνὶ Θεοξενίῳ* lapidis Delphici[41] a Theoxeniis[42] nomen inditum videtur, ut ab Adoniis[43] Cypriorum *Ἀδώνιδι*[44]: adde huc, ut de aliis similibus conticescam, Eleorum *Διόςθυον*.[45] Iam quum Castellus in figlinis aliquot operibus „Eryce repertis" *Θεσμοφόριον μῆνα* legerit[46], hunc ego mensem, a Thesmophoriis eodem agitatis denominatum, cum aliarum Siciliae urbium, quas aut opinamur aut certo scimus *θεσμοφοριάσαι*, tum Syracusarum fastis fuisse insertum arbitror. Dasne? hoc abs te dari pervelim! sed, utut sis affectus, ego non impedior, quominus de anni quaeram tempore, cui hunc mensem cum Thesmophoriis adscribam. Gravissimi in rebus Siculis historici[47] haec vox: *τῆς Δήμητρος τὸν καιρὸν τῆς θυσίας προέκριναν Σικελιῶται, ἐν ᾧ τὴν ἀρχὴν ὁ σπόρος τοῦ σίτου λαμβάνει*, visa mihi est ostendere, Februario fere, saltem Martio

40) Scholl. ad Pindari l. c.

41) Murator. Thes. inscr. II, 591 no. 5; Cyriaci inscr. no. 207.

42) Horum meminit Polemo Periegeta apud Athenae. IX, 372 A. Plut. de sera N. v. p. 557 F., ubi v. Wyttenb. Memorata ab Herodoto I, 51 Delphica *Θεοφάνια* nihil differunt, nisi *Θεοξένια* malis legere. *Θεοφάνια* sunt etiam ap. Synes. Encom. calv. p. 70 C.

43) *Ἀδώνια ἑορτὴ .. Φοινίκων καὶ Κυπρίων* Bekk. Anecd. 345, 31.

44) V. Fabricii Menolog. p. 62 et Münteri Tempel der himmlischen Gött. p. 17.

45) Scholl. Pind. p. 97 ex emendatione Böckhii; male *Διός-θυος* ap. Etym. p. 278, 28.

46) Inscript. Sicil. p. LXXI et Class. XV, 24. 25.

47) Diod. V, 4.

mensem Thesmophorium respondere [48]; quanquam hoc modo Siculorum μὴν Θεσμοφόριος neque cum Boeotorum Δαματρίῳ congruit [49], et Siciliensium Thesmophoriorum longe alio quam Atheniensium tempore fuisse initium sumitur. Profecto feriis in Cereris honorem agendis convenientior est illa, ut ait Himerius [50], τοῦ παντὸς ἔτους τροπὴ καλλίστη καὶ τίμιος, ἐν ᾗ τὰ τῆς χώρας ἐξαίρετα Δημήτηρ καὶ Βάκχος συμβαίνουσιν· ἡ μὲν ἤδη πονοῦσα περὶ τὰς ἅλως καὶ λήγουσα etc.; bene etiam scio, excitata Diodori verba de auctumno intelligi posse, verum erit habenda ratio eorum etiam, quae de Liberae καταγωγῇ post paullo dicentur. Ceterum Sicilienses id anni, ἐν ᾧ ἀρχὴν ὁ σπόρος λαμβάνει, praeoptarunt, τῷ χρόνῳ διασημήναντες τὰς δοθείσας δωρεάς. [51]

Locus iam porro, ubi celebrandis his diebus Syracusani vacarint, videamus, ne constitui debeat e Plutarcho narrante [52] Callippum, Dionis interfectorem, ut iuraret τὸν μέγαν ὅρκον, deductum esse εἰς τὸ τῶν Θεσμοφόρων τέμενος. [53] Quem lucum dicat aliquis sibi prope a fano Liberae videri afuisse, quod eundem Nepos [54] „in aedem Proserpinae" deductum coactumque iurare scribat; ex parte facile dederim, nam templa deorum τεμένεσι

48) Guarnerius, ipse Siculus, scribit in Dissertat. supra laudata p. 8: „tempore sementis nondum finito, tertio Februarii die etc.

49) Plut. de Iside et O. p. 378 E.

50) Orat. VIII, §. 3 p. 544 W.

51) Diod. Sic. I. l.

52) In Dionis c. 56.

53) In Odofredi Mülleri Plutarcho scriptum erat Θεσμοφόριον ἱερόν, Dor. I, 401.

54) In Dionis c. 8.

cingere consuerant veteres [55], et, quae subdit Plutarchus, si curiosius pensitas, itidem ad Liberam spectant; verum prae Nepote gravis Plutarchus est: *αἱ Θεσμοφόροι* in loco Plutarcheo sunt ipsae deae [56], et *Θεσμοφόρων τέμενος* dico fuisse lucum cum templo utrique Legiferae deae communi totumque locum agendis inibi Thesmophoriis unice dicatum, parvo fortasse ab urbe intervallo disiunctum, ut Mileti *Θεσμοφοριαζουσῶν ἱερὸν βραχὺ τῆς πόλεως ἀπεῖχεν.* [57] Praeterea Plato de sua apud Dionysium commoratione scribens bis dicit Syracusis se habitasse in arce: *διὰ τὸ μένειν ἐν ἀκροπόλει* [58]: *Διονύσιος διεκώλυε τὸν ἔκπλουν εἰς ἀκρόπολιν ἀγαγὼν καὶ κατοικίσας* [59]: saepius sibi datum fuisse domicilium *ἐν τῷ κήπῳ* [60], *ἐν τῷ κήπῳ ὑπὸ ταῖς δάφναις.* [61] Utrumque eodem redit; is enim *κῆπος* arci adiacebat, ipso Platone teste, *τίς ἐθελήσει με ἄγειν ναύτης ὁρμώμενον ἐκ τῆς Διονυσίου οἰκίας; ᾤκουν γὰρ δὴ πρὸς τοῖς ἄλλοισι κακοῖς ἐν τῷ κήπῳ τῷ περὶ τὴν οἰκίαν.* [62] Paullo post Dionysius gliscentes iam diu in occulto adversus Platonem inimicitias tecte quidem, sed prodit tamen, *καὶ πρῶτον μέν,* inquit Plato [63], *ἐκ τῆς ἀκροπόλεως ἐκπέμπει με εὑρὼν πρόφασιν, ὡς τὰς γυναῖκας ἐν τῷ κήπῳ ἐν ᾧ*

55) V. Gölleri histor. Syracus. p. 59 sq.

56) Vide initium commentationis huius.

57) Parthenii Eroticor. c. 8.

58) Epp. III, p. 20 ed. Basil. 4.

59) Ibid. VII, p. 53.

60) Ibid. III, p. 26. VII, p. 93.

61) Ibid. II, p. 11.

62) Ibid. VII, p. 90.

63) Ibid. VII, p. 95.

κατῴκουν ἐγὼ, δέοι θῦσαι θυσίαν τινά. Manifesto Syracusiae *Θεσμοφοριάζουσαι* intelliguntur; de illo autem *κήπῳ*, item an et quid a *Θεσμοφόρων τεμένει* differat, quaero adhuc.

Secundum haec quaerenti mihi, quot numero dies his sacris dederint Syracusiorum mulierculae, respondetur[64]: *ἐπὶ ἡμέρας δέκα πανήγυριν ἄγουσιν ἐπώνυμον τῆς θεοῦ ταύτης:* quae de Thesmophoriis scripta arbitraminor. Videlicet Diodorus panegyrin *τῆς θεοῦ ταύτης, Δήμητρος, ἐπώνυμον*[65] dicens, in mente atque animo habuerit *Δημήτρια*: ita autem tum Eleusinia vocantur (*τὰ Δημήτρια ἢ Ἐλευσίνια, τὰ Δημήτρια τὰ καὶ Ἐλευσίνια*[66]) tum nonnunquam Thesmophoria, ut apud Cleomedem[67]: *τὰ λεγόμενα ἐν τοῖς Δημητρίοις ὑπὸ τῶν Θεσμοφοριαζουσῶν γυναικῶν*: atque de his Demetriis i. e. Thesmophoriis cogitasse se ipse testatur Diodorus pergens: *μιμούμενοι τὸν ἀρχαῖον βίον .. ἔθος δ' ἐστὶν αὐτοῖς ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις αἰσχρολογεῖν,* quod Thesmophoriis congruit.[68] Quae quum ita sint, de decem diebus ambigi nequit; accedit gravissimum ipsius Dionysii tyranni testimonium Platonem ex horto aedium regiarum eiicientis praetexendo: *ὡς τὰς γυναῖκας ἐν τῷ κήπῳ*

64) A Diodoro V, 4.

65) *Ἐπώνυμόν τινος εἶναι* et *τινί* recte dicitur, v. Schaefer. ad Scholl. Apoll. Rh. p. 168.

66) Scholl. Pind. p. 228 et 288: his locis fretus Böckhius tum in Explicatt. Pind. p. 195 tum in Oecon. civ. Athen. II, 252 Demetria ab Eleusiniis distinguit, v. Pollucem I, 37; Scholiastes Pindari falso dicitur iuvare eam sententiam.

67) *Περὶ Μετεώρων* II, p. 112 ed. Bake.

68) V. Wesseling. ad Diod. l. l., Dutheil. p. 228, Wellauer. p. 41.

δέοι θῦσαι θυσίαν τινὰ δεχήμερον.[69] Quanquam qui praeter Syracusanos Graeci per tantum dierum Thesmophoria agitaverint, ignoro. Mihi videntur Sicilienses, qui se Cereris *δωρεᾷ προκριθέντας ἁπάντων τῶν ἀνθρώπων* rebantur[70], non minus feriarum magnifico apparatu, quam diuturnitate voluisse excellere. Acute I. H. Vossius[71]: „Auf diese neun Tage des rathlosen Suchens, und den zehnten des Aufspürens, scheinen die Tage der grofsen Eleusinien sich zu beziehn, die, gleich den nachgebildeten Demetrien der Sikeler, bis zum zehnten dauerten."

Quorum decem dierum quem quosve Heraclides[72] dicat scribens: *τοῖς παντελείοις τῶν Θεσμοφορίων*, diu multumque mecum agitavi: Dalecampius „perfecta Thesmophoria" interpretatus haud scio an Thesmophoria cum mysteriis confuderit, cuius culpae affines sunt complures[73]; Schweighäuserus „praecipuum Thesmophoriorum diem" intelligit, quae coniectura transiit etiam in refectum Stephani Thesaurum[74]; eodem iure possis extremum diem vel potius extremam sollennitatem intelligere.[75] Forsan *τὰ παντέλεια τῶν Θεσμοφορίων* simpliciter sunt *τὰ ὅλα Θεσμοφόρια*, integra, universa Thesmophoria h. e. totum illud,

69) Platonis Epp. VII, p. 95.

70) Diodor. l. c.

71) H. an Demeter Erläuterungen p. 22.

72) Athen. XIV, 647 A.

73) V. Lobeck. de myst. Eleusin. grad. I, 5.

74) S. v. *παντέλειον*: e locis ibi insuper excitatis nihil eruitur.

75) Photius et Suidas *παντέλειον*: *ὁλόκληρον*. Sed nihil iuvamur hac glossa.

per quod aguntur Thesmophoria, spatium. Utcunque erit, his *παντελείοις* idem Heraclides auctor est *ἐκ σησάμου καὶ μέλιτος κατασκευάζεσθαι ἐφήβαια*[76] *γυναικεῖα* (scilicet „in sacris simulata pro veris accipiuntur"[77]) *ἃ καλεῖσθαι κατὰ πᾶσαν Σικελίαν μυλλοὺς*[78] *καὶ περιφέρεσθαι ταῖς θεαῖς*[79]. Quibus in verbis Dutheilius[80] reperit „précisément" idem, quod de *κτενὶ* (*γυναικείῳ, ὅ ἐστιν εὐφήμως καὶ μυστικῶς μόριον γυναικεῖον*[81]) in Atticis Thesmophoriis haberi solito Theodoretus[82] prodidit; aliquid tamen discriminis deprehendo: *κτεὶς* ille erat effigies *μορίου γυναικείου παρὰ τῶν τετελεσμένων γυναικῶν θείας τιμῆς ἀξιούμενον*[83], hic dicuntur placentae, quae confectae e sesamo et melle appellatae sunt *ἀπὸ τοῦ σχήματος, ὥςπερ καὶ Βοῦς* (placenta fuit cornuta Apollini et aliis oblata[84]). Videntur igitur eae placentae per Thesmophoriorum occasionem paratae esse eo quidem consilio, ut in dearum honorem circumferrentur neque memoriam huius illiusve

76) *Ἐφήβαιον* de pudenda mulierum parte medicorum vocabulum est, sed illud perraro obvium, v. Polluc. II, 170. Leopardi Emendatt. VII, 6. Hinc facile concludas, Heraclidem videri arti medicae operam dedisse.

77) Servius in Aen. II, 116. Exemplum alius generis v. ap. Plut. Luculli c. 10.

78) Vide Accession. I.

79) Caietanum dum haec scribit (Histor. sacr. Sic. p. 18) nauseola paene incessit. Tu vide Lobeck. de placentis sacris II, p. 8.

80) Memoires l. c. p. 222; Well. p. 15. 45.

81) Clem. Protrept. p. 14 B. Sylb.

82) Meursii Graec. fer. p. 894 Opp. T. III.

83) Theodoret. ap. Meurs. l. c.

84) V. Polluc. VI, 75.

non revocarent, verum an usus earum clam modo in nocturnis et solitariis mulierum congressibus obtinuerit, dubito; feriis Thesmophoriorum potius credo hac specie placentas esitari consuesse.

Qui praeterea ritus, quae consuetudo sit horum tempore sollennium Syracusis servata, scitur, mihi crede, nemini; possemus igitur iam nunc vasa colligere et movere, nisi unum superstes videremus, specie quidem illud alienum a Thesmophoriis, verumtamen re copulatum artissime. Memini supra me dicere, videri Siculos et, qui veteribus scriptoribus interdum sunt instar omnium, Syracusanos nec studio pepercisse nec tempori, ut summam Legiferae venerationem ostenderent. Quod quam vere monuerim, melius etiam e secuturis intelligetur. Nimirum quanquam Syracusis perinde atque Athenis Thesmophoria non in unius honorem Cereris, sed Liberae quoque cohonestandae instituta constat [85]; tamen Sicilienses, certe Syracusani, hoc sui ardoris indicio nondum contenti, etiam separatim Proserpinae dies festos voverant: qui dies si celebrati esse narrantur *ἐν ᾧ καιρῷ τὸν τοῦ σίτου καρπὸν τετελεσιουργῆσθαι συνέβαινε* [86], hinc simul illud patet, hoc Liberae sollenne quamvis quinque vel sex mensium spatio a Thesmophoriis proprie dictis distans, tamen horum partem alteram et quasi consummationem fuisse. [87]

---

85) Hoc tum Plutarchi *Θεσμοφόρων τέμενος*, tum Heraclidae vox *περιφέρεται ταῖς θεαῖς* demonstrat.

86) Diodor. V, 4.

87) Lege excitatum Diodori locum integrum, inter matris et filiae sollennia, etsi distantia tempore, necessitudinem aperte significat. Vide etiam Blunt p. 74 (interpr. Teuton.) „Endlich ist zu bemerken, daſs . . auch gegenwärtig noch

Tum, inquit Diodorus, τῆς Κόρης τὴν καταγωγὴν ἐποιήσαντο h. e. revertentis ad se Liberae sollenne egerunt[88]; quo indicari videtur, his diebus actam quodammodo Proserpinae fabulam esse i. e. caerimoniis repraesentatum raptum Liberae, reditum cet., ad quos ritus etiam spectavit Κοραγεῖν[89], saltem si eo, quo vulgo creditur, modo composita vox est. Atque similibus caerimoniis ac ritibus omnia, quae in unius Proserpinae gratiam a Siculis agebantur, sollennia transacta arbitror, ut ex ante dictis apparet.

Haec denique sollennitas, qua dixi consummata esse Thesmophoria, nomen erat sortita ab ipsa Κόρῃ: videlicet Syracusani ἑκατέρᾳ τῶν θεῶν κατέδειξαν θυσίας καὶ πανηγύρεις, ἐπωνύμους αὐταῖς ποιήσαντες[90]: quemadmodum igitur supra e Δήμητρος nomine Δημήτρια, ita hic e Κόρης extundimus levi labore Κόρεια: cui conatui favet Grammaticus[91] scribens Κορεία: θεραπεία, καλλονή· ἡ θυσία τῇ Κόρῃ τελουμένη, ceteroqui bene, nisi quod distinguenda miscentur Κορεία et Κόρεια.

---

jährlich zwei Feste der h. Agatha sind, das eine im Februar, das andre im August. Ersteres habe ich bereits beschrieben, und zwischen beiden konnte ich keinen bedeutenden Unterschied finden" etc.

88) Καταγωγή opponitur ἀναγωγῇ suntque notissima Erycinae Veneris Anagogia et Catagogia, quae quia mox explicate sum expositurus, hic breviter transmitto. Tum producam etiam, quid mihi videatur fuisse ἡ παρὰ τοῖς Ἐφεσίοις .. βδελυκτὴ ἑορτὴ ἡ λεγομένη Καταγώγιον ap. Phot. Bibl. p. 762 Hoe.

89) V. Accession. II.

90) Diodor. l. c.

91) Hesych. v. Κορεία.

Atque hoc, inquam, *Κορείων* nomine praeditos aliquot dies a Syracusiis festos esse habitos constat [92], etenim his *Κορείοις* [93] (Cyziceni *Φεῤῥεφάττια* malebant dicere [94]) dum operantur Syracusani, Dio exstinguitur, qui obitus breviter, duce Plutarcho et Cornelio [95] exsequendus est. Callippus, Callicrates Nepoti [96], sorori uxorique Dionis in suspicionem adductus, cogitur, ut supra dixi, iurare *τὸν μέγαν ὅρκον*, quod ita fiebat: *καταβὰς εἰς τὸ τῶν Θεσμοφόρων τέμενος ὁ διδοὺς τὴν πίστιν, ἱερῶν τινων γενομένων, περιβάλλεται τὴν πορφυρίδα τῆς θεοῦ καὶ λαβὼν δᾷδα καιομένην ἀπόμνυσιν* [97]: ut igitur Agathocles *παραχθεὶς εἰς τὸ τῆς Δήμητρος ἱερὸν ὤμοσεν* [98], ita Callippus in Legiferarum sacrario [99] sed p e r L i b e r a m iurat, reservat enim facinus in *ἑορτὴν ἧς ὤμοσε θεοῦ* [100], quod perpetratum constat *ἐν τοῖς*

92) E Plutarch. Dionis c. 56.

93) De diversitate scripturae *Κόρεια*, *Κούρεια*, *Κύρεια* etc. v. Accession. III.

94) Plutarch. Luculli c. 10; de his bene egit Caylus recueil d'antiq. T. II. p. 242.

95) Succenseo paena Diodoro, quod triste hominis praestantissimi letum tribus verbis transmittit XVI, 31.

96) In Dionis c. 8.

97) Plut. Dion. l. c.

98) Diodor. XIX, 5; cf. Iustin. XXII, 2 .. e x p o s i t i s C e r e r i s i g n i b u s t a c t i s q u e .. iurat.

99) Minus accurate Nepos in Dionis c. 8 „in aede Proserpinae." Miror Valckenarium Cornelio quam Plutarcho in hac caussa plus fidei tribuere De ritibus iurisiurandi p. 59 Opusc. T. I. Lips.

100) Plutarch. l. c. *Δᾷς καιομένη* etiam Liberae convenit, nam „*Κόρη* taedas gestans in innumeris monimentis." Paciaudi Mon Peloponn. II, 248.

Κορείοις, quorum in locum Nepos accurationis expers „proximum festum diem" substituit.

De Syracusiorum Demetriis seu Thesmophoriis deque *Κορείοις*, illorum appendice, exhibui, quae e veterum locis non sine quadam veri specie viderentur elici, quanquam ita in nonnullis mihi cum Vossio non convenit, v. c.: „die attische Sage, daſs Persefone der drei Jahrszeiten dritte, nämlich von der Saatzeit bis zur Blumenzeit, unter der Erde weile, und die zwei andern bei der Mutter, wird auch bei Apollodor als herrschende anerkannt. Nur die Römer änderten sie."[101] Quid autem necessitudinis haec *Κόρεια* cum Theogamiis contineat, ad suspicandum audacioribus relinquo.

ACCESSIO TRIPARTITA.

I.

Quid sit Μυλλὸς quaeque eius vocabuli ratio.

Rem alioqui dictu audituque turpem ut exponam fusius, libelli mei poscit ratio: quod moneo, ne quis forte oblitum esse me arguat, alios quid audire, me quid dicere deceat.

Heraclides tradit *τὰ ἐφήβαια γυναικεῖα κατὰ πᾶσαν Σικελίαν μυλλοὺς καλεῖσθαι*: *μυλλὸς* igitur hac significatione vox est Graecorum Siciliensium propria, sed, ni fallor, in plebeio tantum sermone, humiliore dialecto; etymi investigatio docebit.

---

101) H. an Demeter Erläuterungen p. 113 sq.

Κιλλὸς est in Graecia Doriensi asinus vocitatus[1] indeque is, qui *κιλλοὺς* agebat *κιλλακτὴρ*[2] seu, ut Theognosto visum, *κιλλαγητήρ*.[3] Est autem *κιλλὸς* enatum manifesto e prisco verbo *κίλλειν*[4], eodemque prorsus modo *μυλλὸς* e *μύλλειν*. Nimirum Theocritus dicit[5]: *τὸ γερόντιον μύλλει τὰν ἐρωτίδα* h. e. *περαίνει αὐτήν*[6], *πλησιάζει αὐτῇ*[7], subagitat, adeoque *μύλλειν* (hoc sensu) verbum „Tarentinorum et Syracusanorum" Vossius[8] appellat: credo, quia apud Syracusium poetam legisset. *Μυλλὸς* igitur ex analogia esse debebat *ὁ περαίνων*, hodie tamen sensu tantum passivo et de re superest, uti huius ipsius nominis femininum *Μυλλὰς*[9] (*ἡ πόρνη*) de persona quidem valet sed ea patiente i. e. quae subagitatur, teritur, molitur. Praeterea improbabile non est, fundum esse vocabulum *Μύλη* (mola) et productum inde *Μύλω* *Μύλλω* (molo), quidquid contradicat Scaligerus[10]

1) V. Polluc. VII, 56. Praeterea mihi *κιλλὸς* magis placet quam *κίλλος*, pariter *ἴλλος* et *ἰλλὸς*, *σίλλος* et *σιλλὸς* promiscue inveniuntur, cf. Paul. de Sillis Graec. p. 11.

2) Poll. l. c., Hesych. in h. v.

3) Ap. Bekk. Anecd. p. 1389.

4) Lobeck. de dial. myst. I, 14 *κιλλὸν* dictum putat ab aurium motu; Welckerus vertit: „der Traber."

5) Idyll. IV, 58.

6) V. Scholl. ad Theocriti l. l.

7) Hesychius *Μύλλει*: *πλησιάζει*.

8) In Etymologico p. 330.

9) Ita Suid. et Phot. in Lex., sed uterque exhibet *μυλάς*. Male, ut vides.

10) Coniectaneorum in Varronem p. 59 (ed. 1581, ubi *μυλλεῖν* scribitur.

inclinat huc etiam Eustathius [11]: ἴσως ἐκ μύλης … καὶ τὸ μύλλειν παρὰ Θεοκρίτῳ ἐλέχθη ἐπὶ μίξεως οὐ σεμνῆς, et Theocriti Scholiastes: μύλλει δὲ ἐλαύνει, ὠθεῖ, περαίνει, ἀπὸ τῶν ἀλούντων καὶ τῇ κώπῃ τοὺς μύλους (= μύλας) ὠθούντων. Inverecundam autem translationem hanc, qua molere feminam dicimur, e Latinis quidem quam Graecis poetis magis novimus (notissimum est illud Horatii [12]: „alienas permolere uxores;" Petronii [13]: super inguina .. diu multumque moluit;" Varronis [14]: „tibi fortasse alius molit ac depsit"); verum lingua Graecorum popularis haec et talia etiam, ut opinor, habuit: Ἱπποκλείδης, inquit Photius [15], τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον· παρὰ τὸ ἱππεύειν. Apud Hesychium etiam reperitur Μυττός: τὸ γυναικεῖον: quid autem vinculi inter μυττὸς et μυλλὸς intercedat aut quo iure Salmasius [16] μυττὸς „Siculum vel Aeolicum" pro μυστὸς appellet, ignoro.

De Μύλλῳ, veteris poeta comoediae, quae scripseram, ea idcirco omnia resecui, quod Augusti Meinekii doctrina [17] mihi praeter levem aliquam suspicionem nihil reliquit. Apud Photium [18] legis: Λύλλος: ποιητὴς ἐπὶ μωρίᾳ κωμῳδούμενος. Quid censes? ego suspicor duplicem Photii in uno homine errorem.

---

11) In Odyss. p. 1885, 22 Rom.
12) Satir. I, 2. 35.
13) Satiric. p. 69 ed. 1621.
14) Apud Noninum Marc. in Depsere.
15) In Lex. v. Ἱπποκλείδης.
16) Exercitatt. Plin. p. 310 A. 943 D.
17) Quaestion. sceuicar. Spec. I p. 6. 8. et Specimen II init.
18) In Lex. v. Λύλλος.

II.

Κοραγεῖν – Κοραγός.

Apud Hesychium verbum legitur *Κοραγεῖν* cum adiecta interpretatione hac: *τὸ ἀπάγειν τὴν Κόρην*: externa illud specie proxime accedit ad *ξεναγεῖν*[19], *μοραγεῖν*[20], *οὐραγεῖν*[21] etc.; atque ut haec sunt deflexa a *ξεναγός*, *μοραγός*, *οὐραγός*, ita *Κοραγεῖν* a *Κοραγός*; quanquam in veterum scriptorum monimentis *Κοραγὸς* adhuc mihi apparuit nusquam: nomen viri Macedonis proprium *Κόραγος* est apud Diodorum[22], qui ab Aeliano[22 b] *Κόῤῥαγος* appellatur, etiam apud Aeschinem[23] *Κόῤῥαγος* occurrit. Illud igitur *Κοραγεῖν* ad Liberae religionem spectare, Wesselingii iudicium est „sacrum videri verbum, quo raptam abductamque Proserpinam designarint" putantis.[24] Haec Wesselingii reiectanea non sunt; tamen pro *ἀπάγειν* possis suspicari legendum esse *ἀνάγειν*: fingendum est enim statis diebus Proserpinae simulacrum sollenni pompa esse in sacrarium aliquod traductum, qua de re *ἀνάγειν* occurrit: ita ex eo oppido, quod Helos dicitur, *ξόανον Κόρης ἐν ἡμέραις ῥηταῖς ἀνάγουσιν ἐς τὸ Ἐλευσίνιον*[25]: item *ἐν Τιτάνῃ Ἀθηνᾶς ἱερόν ἐστιν, ἐς ὃ τὴν Κορωνίδα*

19) Xenoph. Agesil. II, 10.

20) Osann. Auctar. Lex. p. 110. 112.

21) Phot. in Lex. h. v.

22) Diod. Sic. XVII, 100.

22b) Var. Hist. X, 22. cf. IV, 15.

23) In Ctesiphont. §. 165.

24) Ad Diod. V, 4.

25) Pausan. Lacon. c. XX, 6.

ἀνάγουσιν[26]: *τόδ' ἱερὸν ἀνάγετε ξόανον Ἰλιάδι διογενεῖ κόρᾳ*[27]: in his autem *ἀνάγειν* dicitur propter templorum adscensum estque geminum *ἀνάγειν ἑορτήν*.[28] Minus liquet an *Σεμέλης ἀναγωγὴ* huc spectet.[29]

Erunt tamen, qui, fastiditis his omnibus, glossam Hesychianam sic legant: *Κοραγεῖν: τὸ ἀπάγειν τὴν κόρην*, et nihil significari existiment nisi puellam (ritu quodam nuptiali) abductam (deductam). Ad rem nuptialem spectantia etiam in his videantur latere: *Προχαιρητήρια*[30]: *ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις, ὅτε δοκεῖ ἀπιέναι ἡ κόρη*; verum si Suidan in *Προχαριστήρια* comparaveris, *ἀνιέναι* recte legi et significari videbis *τὴν ἄνοδον τῆς θεοῦ, ὀνομασθεῖσαν δὲ Προχαριστήρια διὰ τὴν βλάστησιν τῶν καρπῶν τῶν φυομένων.*

III.

Utrum Κούρεια praestet an Κόρεια scribere.

Ad Pindari locum quendam[31] a veteribus magistris[32] enumerantur Arcadici aliquot *ἀγῶνες* inter hosque *Κόρεια*. Quae unde appellarint Arcades, compertum quidem non habemus, verum de *Κόρῃ* adscitum nomen, est quatenus contendi possit; Cereris enim fabulam ac religionem cuncta

---

26) Pausan. Corinth. c. XI, 9.

27) Eurip. Troad. 527 s.

28) Ap. Herodot. IV, 76.

29) Plutarch. Quaest. Gr. 293 C.

30) Phot. et Harpocrat. s. h. v.

31) Olymp. VII, 83 Bckh.

32) Scholl. Pind. p. 181.

in se Arcadia transtulerat[33], raptae apud se Liberae vestigia Pheneatae potissimum ostendebant[34]; nec inelegans est Ludolphi Dissenii coniectura, quoniam ἱερὰ τὰ ἐπιφανέστατα Δήμητρος Clitorii habuerint[35], iisdem etiam τὰ Κόρεια dantis.[36] Sed ut super Arcadico hoc sollenni incerta sint omnia, Syracusiorum Κόρεια, reperto e Κόρῃ nomine, in dialecto communi recte habent. Plutarchus igitur quid habet, quod Κορείοις Κοί ρεια anteferat?[37] numne eius erat inscius notationis? Noverat probe (aiunt); maluit Κούρεια, uti κουράλιον magis placitum est Luciano[38] scribere quam κοράλιον. At Luciani verba flagrant interpretum coniecturis ideoque ficulneum adminiculum praebent. Plutarchus forsan Attica illa Κουρεῖον, Κουρεῶτις etc. in mente habens ita dedit aut scriptum reperit Κώρεια, quod, nolens manifesto δωρίζειν, in Κούρεια transformavit; sic fere Lesbii poetae Κωράλιον ποταμὸν Strabo Κουράλιον scribit.[39] De reliquo Hesychii Κωράλιον (παιδάριον, κόριον exponitur) pro glossa Siciliensi fero; suadent hoc Κωραλλεῖς, quo nomine appellabantur οἱ ἀναλέγοντες τὸ κουράλιον παρὰ Σικελοῖς[40]: quali genere hominum non offendor in in-

33) Arcades τὰ Ἀρκάδια τῇ Δήμητρι . . συνεστήσαντο μετὰ τὸν πρῶτον σπόρον Steph. Byz. in Ἀρκάς, cf. Fragm. Apollodori p. 390.

34) Conon. Narrat. XV ibique Kann. p. 96. 113.

35) Pausan. Arcadicor. c. XXI, 2.

36) Ad Pind. Nem. X, 37 et Böckh. ad Pind. p. 175.

37) In Dorvillii Siculis p. 104 legitur etiam Κύρεια, operarum credo sphalmate.

38) De mercede cond. c. 1.

39) Fragm. Alcaei p. 49 ed. Matth.

40) V. Hesych. v. Κωραλλεῖς.

sula, „cuius mare parturit corallum." [41] Apud hodiernos quoque Siculos frequens coraliorum usus; Bluntius [42]: „Ich will hier nur noch hinzusetzen, daſs man voralters den Korallen eine magische Kraft zuschrieb (Plin. H. N. XXII, 2). [43] Daher kömmt es wahrscheinlich, daſs so viele der ärmsten Weiber und Kinder in Italien und Sizilien bis auf den heutigen Tag Halsbänder von Korallen tragen;" et Drepanum (Trapani) rerum e corallis fictarum etiam nunc forum esse constat. [44] Quare Κοραλλιοπλάστας [45] i. e. puparum aliarumque rerum e coralio fictores etiam in Sicilia olim fuisse, incredibile non est.

---

41) Isidori Origg. XIV, 6.

42) Pag. 157 interpr. Teut.

43) Vossius H. an Demeter Erläuterungen p. 71: „der Orfiker Lithicor. 587 empfiehlt den Korall als das kräftigste ἀντίλυτρον, Lösungsmittel, aller Banne und Bezauberungen."

44) V. Epistolas Pseudonymi Iusti Tommasini.

45) V. marmor Smyrnense in Dorvillii Siculis p. 569; cf. Toupii Epist. crit. p. 130 ed. Lips. et Ruhnken. ad Timae. p. 166.

II.

HISTORIA CRITICA

TAURI PHALARIDEI.

Dixit aliquando Fichtius: „Es wäre Schade, wenn der Deutsche nicht besser wäre, als seine Geschichte." Hoc acute cogitatum incredibile est memoratu quam egregie in Siciliae tyrannos conveniat: quos, demtis perpaucis, universos historia quasi atris lapillis condemnat. Multas multorum narrationes legite inter seque conferte, hic truculentia comitem perversitatem habet, illic amentiae similis furor est, nusquam non fere furta, rapinae, cupiditas, superbia, audacia occursat. Sed quum nostra nos natura paene prohibeat credere, inter tot regios homines vix unum alterumve interfuisse, qui probi et honesti viri laude floreret; hinc effici non potest, quin in mente nostra inhaerescat dubitatio, an scribendis Siciliae tyrannorum rebus incorruptam semper integritatem ac fidem historici vetusti adhibuerint. Et hoc quidem summo iure dubitatur; tamen in tanta integrorum historicorum et aliorum testium iactura penes nos non est, certo dicere, superstites illi pauci quatenus ad veritatem loquantur. Illud igitur detrimentum quoniam totum reconcinnare nunquam poterimus, idcirco nobis historiam Siciliae scripturis nihil relinquitur

nisi ut, veritas quoad certe possit cognosci, periclitemur, et res etiam minimas atque eas adeo, quae superbius aestimantibus pusillae ac frivolae videantur, summa cum cura criticaque diligentia enucleemus. Atque id praescriptum quam sim religiose servaturus, eius rei documentum esse volui operam hanc in tauri Phalaridei historia positam: quam scito praenuntiam esse amplioris curae in rebus non unius Phalaridis, potius Siciliae regum ac tyrannorum omnium ponendae.

Eam de Perilli artificio narrationem ut conficerem, non modo multum studii operaeque consumsi in convehenda materie, verum scriptores, qui fontium nomine ferri solent, lumine admoto lustravi et distinxi: brevi praecidam, *σύνταγμα* exhibeo aliquoties nec molli brachio retractatum. Sed haec quamvis secus non sint, atque dixi, tamen perpaucis modo fecisse me satis opinor: pars hauddum ad omnia plene responsum esse reprehendet, velut num inter mugiendum etiam Phalaridea bos caudam commorit, *μυκώμεναι γὰρ αἱ βόες κινοῦσι τὴν οὐράν*[1]: aliis meam probare crisin haud potuero, iis praesertim, qui sibi solis datam „*ῥῖνα κριτικὴν*"[2] praedicant: multis, sat scio, arrogantius a me totum hoc consilium captum censebitur, qui post Ricardum Bentleium, post tantum tantillus, appropinquare *τῷ Σικελικῷ θηρίῳ*[3] non refugerim. Tu facito, ut, quid effecerim, quam qui sim diligentius consideres.

---

1) Scholl. Apoll. Rh. I, 292.

2) Sic Posidippus ap. Athen. XIV, 662 A.

3) Hoc Phalaridi ipsi nomen, non eius tauro, indit Iulianus in Caesar. p. 27 ed. 1583. Eodem simili, sed alio sensu utitur Aeschines (ap. Plinum Epp. II, 3), qui quum

A.

QUAERITUR, QUI ET QUAM MULTI SINT, QUORUM IN HAC TAURI CAUSSA TESTIMONII DICTIO EST.

Ioannes Tzetza, *Γράφει*, inquit, *περὶ τοῦ ταύρου Λουκιανὸς, Διόδωρος, Πίνδαρος, σὺν τούτοις τε μυρίοι*[4], quae testium multitudo itidem a Polybio significatur, quum de tauro *ἀποφάσεις τῶν ποιητῶν καὶ συγγραφέων* memorat[5]: sed horum multorum aut perexigua hodie pars superat, aut Polybius cum Tzetza magnificentius quam verius loquuntur. Misso tamen, illud utro se modo habeat, contenti erimus his, qui sunt etiam nunc superstites, eosque temporum ordinem secuti producemus. Quocirca Pindarus agmen ducit, qui, Hieronem ut a violentia deterreat, commonet: *οὐ φθίνει Κροίσου φιλόφρων ἀρετά· τὸν δὲ ταύρῳ χαλκέῳ καυτῆρα νηλέα νόον ἐχθρὰ Φάλαριν κατέχει παντᾶ φάτις*[6]: Pindarus autem et alibi prodit animum *κοινῶν φημῶν*[7] similium, velut de Abarido[8] et de Aristea[9], minime contemtorem.

---

legisset Rhodiis orationem Demosthenis, admirantibus cunctis, adiecisse fertur: *Τί δέ, εἰ αὐτοῦ τοῦ θηρίου ἀκηκόειτε;* Sic ex editione Gierigiana.

4) Chiliad. I, 667 s.

5) Polyb. XII, 25.

6) Pyth I, 94 — 96 Bckh.

7) Polyb. l c. disserte de tauro usurpat *κοινὴν φήμην*, vide finem dissertationis

8) Fragm. 193.

9) Fragm. 194.

Post aliquantum intervalli demum succedit **Ponticus Heraclides**, quo narrante Phalaris ultor „*τοὺς μὲν εἰς λέβητας ζέοντας, τοὺς δὲ εἰς τοὺς κρατῆρας τοῦ πυρὸς ἀπέστελλε; τοὺς δὲ καὶ εἰς χαλκοῦν ταῦρον ἐμβαλὼν κατέκαιε.*[10] Proximum sibi locum postulat **Timaeus**, scriptor in hac quidem caussa longe princeps, quandoquidem is de istoc tauro severissime quaestionem agitaverat, omnia pertentans et *πάντα*, ut aiunt, *λίθον κινῶν*[11]: quod quorsum evenerit, post paullo monstramus. Timaei aetatem Siculi attingit **Callimachus**, quo auctore *Πρῶτος τὸν ταῦρον ἐκαίνισεν, ὃς τὸν ὄλεθρον εὗρε τὸν ἐν χαλκῷ καὶ πυρὶ γινόμενον.*[12]

Iam vero Callimachum longiore quidem ex intervallo, sed proximi tamen insequuntur ii testes, qui quidem sic existimabant sibique persuaserant a Phalaride quondam istiusmodi taurum esse habitum, sed ad unum omnes fortasse hoc uno argumento freti, quod persimilem Phalarideae machinam Carthagine restitutam audierant. Hic numerus incedit signifero ac principe **Polybio**[13], quo nemo pro tauro pertinacius propugnavit. **Ciceronem** observant dubitanter scribere: „quem, taurum, crudelissimus omnium tyrannorum Phalaris **habuisse dicitur**[14]; itaque istuc **dicitur** quanti esse ponderis debeat deliberandum est, praesertim quum ab eodem illo pluries sine ulla

---

10) De rebus publ. fr. XXXVI ed. Koel.

11) Plin Epp. I, 20.

12) Fragm. Bentl. 119. 194.

13) Polyb. l. c.

14) Verrin. IV, 33.

dubitationis significatione tauri memoria repetatur.[15] Perbona sunt, quae discuntur a Diodoro[16], quanquam ad Polybii se iudicium conformante. Eadem fere, qua Diodorus, aetate vixit, meo quidem arbitratu, Dorotheus, cuius e πρώτῃ Σικελικῶν excerpta de tauro narratio servatur. Fuit autem, qui Dorotheum hunc faceret si minus aetate auctoritate supparem Timaeo. Quare ut scires, de Dorotheo qui oporteret te statuere, simul in coepta re ne nimium diu interpellarere, de hoc scriptore eiusque libris dicenda alio transtuli.[17] Hoc versu: „Invidia Siculi non invenere tyranni Maius tormentum" Horatius[18] maxime, reor, Phalarim eiusque taurum tetigit. Propertio[19] et Nasoni[20], etiam Maximo Valerio[21] Perillus, tauri effector, prae Phalaride detestabilis est. Persium[22] leviter „Siculi aera iuvenci" afferentem excipit Seneca, qui quum scribit: „Phalarim aiunt non quidem in homines innocentes, sed super humanum ac probabilem modum saevisse" de tauro cogitavit.[23] Egregia de Perillo Plinio[24] debemus. Interioris

15) De finib. V, 28. Tusc. II, 7. V, 26 et 31. In Pison. c. 18.

16) Diod. XIII, 90. Exc. de Virt. et Vit. p. 591 (T. X p. 68 Bip.) et Maii vett. scriptt. nova coll. T. II p. 20. XXIII.

17) V. Excursus sectionem I.

18) Epp. I, 2. 58.

19) Elegg. II, 25. 11 vulg.

20) Artis Am. I, 653; in Ibide 437; Trist. III, 11. 51; V, 1. 53; V, 12. 47.

21) V. Max. IX, 2. 9.

22) Satir III, 39

23) De Clem. II, 4. cf. de Ira II, 5. Epp. LXVI et XCII.

24) H. N. XXXIV, 8.

laudem doctrinae captat Silius cantando [25]: „Grosphi caelaeta gerebat Taurum parma trucem, poenae monumenta vetustae." Is qui Parallela Graeca et Romana consuit quique nomen sibi Plutarcheum sumit, scriptoris cuiusdam de Phalaridis hoc tormento narratiunculam refert [26]; verus autem Plutarchus disserte tauri, quantum ego reminiscor, commeminit nusquam, etsi reperias aliquot locos, quos scripsisse videbitur animo ad tale quiddam intento, velut: ἔνιοι τύραννοι σπουδάζοντες οὓς ἂν κολάζωσιν ἀθλίους ποιεῖν, δημίους τρέφουσι καὶ βασανιστὰς ἢ καυτήρια καὶ σφῆνας ἐπιμηχανῶνται [27]: alibi: πῶς οὐκ ἄλογον πολλοὺς πάλιν ὁρᾶν ὠμότητι καὶ θυμῷ καὶ πλεονεξίᾳ τὰ φοβερώτατα τῶν θηρίων ὑπερβεβληκότας, παιδοφόνους καὶ πατροκτόνους, τυράννους καὶ βασιλέων ὑπουργούς [28], ubi (extrito καὶ) lege βασάνων ὑπουργούς, tormentorum opifices.

Lucianus [29], deliciae meae, non eo, quo consuevit, sale et facetiis caput tauri perfricuit; fuit adeo ubi sententiarum lepores sentirem haud nimis Lucianeos; ne multa, non eum apud me, quem apud Bentleium, hi libelli locum obtinent; dicere tamen, quibus innitar caussis, ad extremum reservavi [30]: ibi legito et, si volupe erit, redarguito. Lactantius [31] tibi ea narrabit,

25) Punicor. XIV, 211 s.
26) V. Exursum de Dorotheo.
27) An vitiositas cet. p. 498 C.
28) Fragm. Plut. p. 899 Wyttenb.
29) In utroque Phalaride.
30) V. Excursus sectionem V.
31) De falsa sap. III, 19. 8; 26, 6; 27. 5.

quae partim a Cicerone iam philosopho, partim aliunde compereris. Orosii, Polybium sibi notum esse prodentis, de tauro paene facunda oratio [32]; Claudiano, ut reliquis poetis, „taurus" et „tormenta flammae" et „Siculi mugitus iuvenci" sunt acerbissimae vexationis exempla. [33] Eustathius refert per pol quam vilia: *κίνδυνος ἦν*, inquit, *καὶ τοῦ δουρείου ἵππου βοὴν ἐξηχηθῆναι τότε ὀλέθριον, ἄλλον τρόπον ἤπερ ἐπὶ τοῦ ταύρου κατὰ Φάλαριν λέγεται.* [34]

Quattuor denique scriptores, qui nostra in historia magnum pondus habent quorumque persaepe inferenda mentio erit, huc, quoniam eorum aetas a me certo definiri nequit, translatos volui, Scholiastas dico Pindari [35], Horatii [36], Ovidii [37] et Iuvenalis. [38]

Non sine caussa iustissima separatim percensetur etiam hoc quod restat genus testium, quibus praemonstrator est Auctor Epistolarum, quas eximia critici acuminis et antiquae eruditionis copia Phalaridi, quamvis invito Boyleo, Bentleius eripuit. Quibus in epistolis qui ipsum priscum tyrannum sibi legere visi sunt, hi non potuerunt eas non sequi tanquam locupletissimas in tauri historia testes. [39] Horum in grege intersunt Non-

32) Adv. Pag. I, 20.
33) In Rufin. I, 253; Bell. Gild. 186 s.
34) Ad Odyss. Δ, p 1496. 56 Rom.
35) Ad Pyth. I, 185 p. 310 Bckh.
36) Ad Epp. I, 2. 58.
37) Ad Ibin 439. 441.
38) Ad Sat. VI, 486 p. 245 ed. Cr.
39) V. Phal. Epp. ex ed. Groning. p. 20. 30. 118. 164. 188. 260. 262. 264.

nus[40], Basilius[41], Tzetza: αὐτὸς δ' ἐκ τῶν Φαλάριδος ἐκείνου τοῦ πανσόφου ἐπιστολῶν σοι γέγραφα ταύτην τὴν ἱστορίαν[42]: eademque caecitate Eudocia[43] et Apostolius[44] affecti fuerunt.

Hi sunt fere, qui de tauro scriptitarunt, non illi admodum numero exigui, verum, id quod velim memoria tuearis, si rem, non involucrum rei et exornationem respicis, valde concordes[45]; unde patescit, fontem a principio haustum esse plerisque communem.

Data denique huius loci opportunitate dicam etiam, quae me praeterea res advertit: videlicet miror paene quam ob caussam tot comicorum nemini nec ipse Phalaris nec tauri artifex praebuerit fabulae argumentum; ego ne memini quidem, in reliquiis ubi alteruter comedendus deridendusque propinetur. Comici fortasse desperarunt rebus Phalarideis conciliari theatralem venustatem posse: neque iniuria, diffunditur enim vere per omnem Phalaridis historiam triste quiddam ac tetricum; Dionysii certe tyranni fuerunt multo magis comici[46] multoque scenicae gratiae capaciores[47]: horum scilicet in regia, praeter ipsos

---

40) In Συναγωγῇ ἱστοριῶν I, 48; v. Lennep. Epp. Phal. p. IX Praef.

41) V. Boissonad. ad Herodiani Epimerism. p. 88.

42) Chiliad. I, 669 s. V, 837 s.

43) Violar. p. 412.

44) V. Excursum de Dorotheo.

45) V. Lennep. ad Epp. p. 25 Gron.

46) Comicus dicitur tyrannus eo intellectu, quo apud Ciceronem sunt comici senes, comicus adolescens cet.

47) De Eubuli Dionysio v. Dissertatt. Sic. I, p. 99.

Dionysios, etiam parasitorum grex et adulatorum concursatio et, quod rei caput, diuturnae compotationes amplam materiem praebebant.

B.

PERILAUS SEU PERILLUS UNO SCRIPTORUM CONSENSU PERHIBETUR TAURI ARCHITECTUS, INTER EOSDEM TAMEN NON CONVENIT DE HOMINIS PATRIA.

Sunt aliquot tyranni, qui tanquam norma ac regula crudeliter acerbeque regnantium excitari solent, velut Echetus, Phalaris, Dionysius, Apollodorus, alii.[48] Propter hanc, quae est inter illos reperta, similitudinem, accidit etiam, ut res ab iisdem gestae a scriptoribus potissimum aevi citerioris nonnunquam indistincte ponantur: de Echeto et Phalaride sic scriptitatur, ut tanquam geminos difficulter internoscas[49]; Nearchum[50], Veliensem tyrannum, pro Phalaride immutat Maximus Valerius[51]; Dionysium pro Nearcho Tertullianus.[52] Persimilis est incogitantia Basilii[53], Nonni, Eudo-

48) V. Suidam. in *Βίαιοι* T. I, 432.

49) V. meas Dissertatt. Sic. I, p. 110: quo in loco itidem scriptorum socordiam esse in culpa dixi, quod Echetus Siculorum, non Epirotarum rex appelletur; neque nunc muto sententiam, quanquam Niebuhrius (Rhein. Mus. I, 3 p. 255) longe aliud inde elicit, videlicet Epirotas potius videri nomine Siculorum fuisse comprehensos.

50) V. Menag. ad La. IX, 26 et Davis. ad Cic. Tusc. II, 22.

51) Diot. III, 3. 2 ext. cf. Bentl. Opusc. p. 254 Lips.

52) In Apologetico c. 50 p. 60.

53) In Scholl. ad Gregor. Naz. ap. Boisson. l. c.

ciae [54], referentium: Φάλαρις Διονυσίῳ τῷ τυράννῳ χαριζόμενος ἐπενόησε βοῦν χαλκοῦν. Sed omittamus ineptias in Apostolii [55] iudicio acquiescentes: καὶ ταύτην μὲν οὕτως ἔχουσαν εὗρον τὴν ἱστορίαν ... μὴ μέντοιγε ἀληθευούουσαν τοῖς προσώποις.

Vetustiorum scriptorum quotcunque de tauri conditore meminerunt, totidem una voce edunt artificem quendam, qui ab auctoribus Graecis praeter Dorotheum et Anonymum [56] omnibus (Diodoro [57], Luciano, Pindari Scholiasta, Epistolarum Auctore, Tzetza) dicitur Περίλαος, Perillus constanter a Romanis (Propertio, Nasone, Plinio, Orosio, Ovidii Scholiasta). [58] Et nomen quidem artificis illius ita variant auctores; hic autem, utra nominis forma praestet, exponere omittens [59], potius extemplo quaeram, qui Graeciae tractus eum Perillum tulerit. Apud Nasonem sermo inter Perillum et Phalarim super tauro habitus fingitur [60]: cuius sermonis ad finem ubi venit poeta, „Quid mihi, inquit, cum Siculis inter Scythiamque Getasque"? Unde Perillum pro Siculo haberi ab Ovidio, unus interpretum exponens: „quid crudelitatem

54) Locis paullo ante laudatis.

55) Provv. XX, 13.

56) In Dorothei fragmento variatur etiam inter Περίλαος et Πέριλλος: de Anonymo dixi in Excursus sectione I.

57) Excerpt. de Virt. et Vit. p. 591 (T. X. p. 68 Bip.) Maii Exc. Diodori p. 20 Rom.

58) Ad Ibin 439.

59) Scribitur Περίλαος, Πέριλλος, Περίλλος: de qua discrepantia copiose disseritur in Excursus sectione II.

60) Trist. III, 11. 40—54.

Phalaridis et Perilli Siculi refero"[61] collegit et tu eum facile sequare; tamen, si quid intelligo, poetae sic licuit loqui, etiamsi de illius patria aliter sensit. Pariter de immanitate Perilli Siculi se narraturum esse pollicetur Valerius Maximus.[62] Denique tyranni popularis fuit architectus ille Luciani quoque iudicio, apud quem ipse Phalaris, *Περίλαος ἦν τις,* inquit[63], *ἡμεδαπὸς* i. e. nostras: quod quum dicit, non Siculum debes generatim, sed Agrigentinum intelligere, etenim pro explorato Lucianus habuit Phalarim fuisse patria Agrigentinum, ut qui semel diserte *Φάλαριν τὸν Ἀκραγαντῖνον* excitet[64], iterum eum *οὐ τῶν ἀφανῶν ἐν Ἀκράγαντι* fuisse contendat.[65]

Longe diversa sententia est Epistolarum Auctoris, qui si inducit Phalarim scribentem „*ἀφίκετο ὡς ἡμᾶς Περίλαος ὁ πλάστης ὑμῶν, ὦ Ἀθηναῖοι*"[66] pro Atheniensi Perillum ferri voluit: a quo fonte profluxit tum *Περίλαος ὁ Ἀττικὸς* Tzetzae[67], tum Apostolii *Περίλαος ὁ Ἀθηναῖος.* Vides igitur nunc deveniendum esse ad quaestionem hanc, utrubi verius, Agrigenti Athenisne, natum dicamus. Ac Iulio quidem Silligio „probabile est, Perillum Agrigentinum fuisse"[68]; quod quia ratio-

61) In editione Ovidii Cnippingiana.

62) In indice capitis 2 libri IX.

63) Phalar. pr. c. 11.

64) Verae Histor. II, 23.

65) Phalar. pr. c. 2.

66) Epp. 5 p. 20 ed. Gron.

67) Chiliad. I, 646. 47. V, 841.

68) Catalog. artiff. p. 330; in addita Tabula I legitur: „Perillus (Agrigentinus?) stat"

nis nihil affertur, non est similius veri, quam si quis cum Epistolarum Auctore eum Atheniensem ediderit. Nam suppositas esse illas Epistolas tametsi abunde patet, tamen nequaquam est, cur earum argumentum pro abiecto penitus et vili habeas, si ea, quae Epistolis opponis, multo graviora et saniora non sunt. Exemplo docebo: „De Phalaridis initiis parum hodie constat"[69]; testium Agrigentinam eius patriam propugnantium sat magnus numerus[70]; ecce autem de transverso Epistolarum Auctor, pro Ἀστυπαλαιεῖ ut habeamus, flagitat.[71] Iam Lennepius, metuens, ne citius aequo Astypalaeam patriam Phalaris amitteret, non pugnum minatur Bentleio, sedate tuetur Epistolarum hanc sententiam[72] eaque crisi historica egregie confirmatur.[73] Quid igitur? fieri non potuit, Perillus ut duas haberet patrias, alteram originis, habitationis alteram? ut Athenis ille relictis Siciliam obiret, sive ostentandae artis gratia, sive pecuniae quaerendae[74], sive etiam aliis caussis allectus? Fuerunt porro plura opera

69) Verba Schneideri ad Aristot. Polit. p. 335.

70) V. Bentleii Phalarid. p. 328 L.

71) Epp. 4 p. 10 Gr., inde Tz. Chil. I, 643.

72) V. Lennep. ad Epp. p. 128. In libro menstruo Hertha edd. Berghaus. et Hoffmann. m. Dec. 1827 p. 564 s. e Villoisoni reliquiis narratur: „Die Astypalioten sind böse, zanken und schlagen sich viel." Nonne agnoscis Phalaridis populares? Sed haec iocatus sum.

73) Cf. Müller. Dor. I, p. 111.

74) Legentium multis hic veniet Elei Hippiae in mentem, qui et ipse (serius tamen) παρῆλθεν ἐς τὴν Ἰνυκὸν ὑπὲρ χρημάτων, τὸ δὲ πολίχνιον τοῦτο Σικελικόν Philostr. V. Soph. I, 11 495.

Perilli, ne diffide; nam non in Epistolis modo scribitur venisse „*Περίλαος δημιουργήματα πάνυ τὴν κατασκευὴν ἀποχρῶντα κομίζων*“ [75], sed Plinio [76] sponsore „una de caussa servantur eius opera, ut quisquis illa videat, oderit manus;“ haec tamen opera praè tauri ira oblivioni data sunt omnia: Qui taurus quia Siciliensi tyranno erat factus, eius etiam conditor nullo negotio potuit pro Siciliensi haberi. [77] Appellatur autem Perillus *τεχνίτης, χαλκεύς, χαλκουργός, ἀνδριαντοποιός* [78], *πλάστης, ταύρου δημιουργός* [79], artifex, aeris opifex [80], aerarius [81], tauri inventor, poenae repertor [82]; verissime eum cum Luciano et Diodoro [83] *ἀνδριαντοποιόν*, statuarium, dices, ut qui in saevitiam „a simulacris Deûm hominumque devocaverat humanissimam artem.“ [84]

Ceterum Perilli taurus, ut reliqua huius statuarii opera, si duo, si plura aut quotquot fuerunt, vetustissimis ex aere operibus adnumeranda sunt. [85]

---

75) Epp. 5.

76) H. N. XXXIV, 8 19 p. 292 ed. Franz.

77) Similiter *Μέγαλλος* ille, unde *μεγάλλιον* denominatur, hic *Σικελιώτης*, illis *Ἀθηναῖος* est; v. Athen. XV, 690 F.

78) Luciani Phal. pr. c. 11.

79) Epp. 94 p. 260.

80) Oros. I, 20.

81) Schol. ad Ovidii Ibin v. 439.

82) Ovid. Trist. III, 11. 51.

83) In nobili fragm. a Maio ed. p. 20 ed. Rom.

84) Plin. l. c.

85) V. Hirt üb. Material, Technik und Ursprung der versch. Zweige der Bildkunst b. d. Griech. p. 260 T. I. Amalthea Boettig.

Sed quae praeterea de hoc genere artificum etiam magnopere refert ut norimus, quibus sint praeceptoribus aut ad fingendum pingendumve magistris usi, quid uni alterique cum aliis artificibus coniunctionis intercedat, haec, inquam, de Perillo nota non sunt [86] nec abest suspicio, quin scriptores consulto eum iacere siverint, ut, quantum in se esset, praestiti tetro tyranno officii mercedem ille haberet ignobilitatem. Non ita multo post eandem habuit fortuna potestatem in Telephane Phoceo (Phocensi) statuario; de quo scriptum apud Plinium sic est [87] „alii non hanc ignobilitatis fuisse caussam, quia latuerint eius opera, sed quoniam se regum Xerxis atque Darii officinis [88] dediderit, existimant."

C.

AMBIGITUR, UTRI PRIUS, PERILLONE AN PHALARIDI, CONSILIUM FABRICANDI TAURI INIECTUM SIT.

Perilli vicem, hercle, me miseret, quod effunduntur in eum contumeliae tam multae toties, quum tamen ad liquidum explorata ea res non sit, uter alteri exstiterit fingendi tauri suasor h. e. ipse per se an iussus a Phalaride incubuerit hunc in laborem Perillus. Ac Polybius quidem narrat *περὶ τοῦ ταύρου τοῦ χαλκοῦ τοῦ παρὰ Φαλάριδος*

---

86) V. Thiersch. Epochen der bild. K. II, p. 40.

87) H. N. XXXIV, 8. 19. p. 266 ed. Franz.

88) Lege officiis.

κατασκευασθέντος [89] i. e. qui Phalaridis mandato, impulsu est factus, quem Phalaris parari curavit. Quam vim si praepositioni hic subiicies, neque illam non poteris subiicere, tum, qui sit factum, cedo, ut ipse faber primus artis suae opus auspicari [90], imbuere, καινίζειν cogeretur? cuius famae testis antiquissimus est ex iis saltem, qui hodie supersunt, Callimachus. Unde sequitur, ut aut fama de primum combusto ob inventam machinam fabro conficta sit, aut vere Perillus, stimulante praeter durum ingenium nemine, fecerit taurum. Quae quum ita sint, res sicut gesta esse narratur, ita deinceps exponam, verum pleraque horum nec negare possum, nec affirmare: Perillus „affectans tyranni amicitiam" [91] novum quoddam κολαστήριον sive βασανιστήριον [92] excogitat, quod, quia ᾤετο χαριεῖσθαι Φαλάριδι [93], ad ipsum hunc tanquam δῶρον [94] affert; atque hoc muneris qua commendatione, quibus laudibus sit prosecutus, Lucianus cum Ovidio manifesto fingunt. Illud autem tormentum, quod, ut ait Epistolarum Auctor, ἐντὸς οὐ πολλοῦ χρόνου ἐχαλκεύσατο Perillus, erat taurus ex aere confectus idque simulacrum fere sic appellatur: ἡ δάμαλις [95], ὁ βοῦς, ἡ

89) Polyb. XII, 25.

90) Sic loquor cum Valerio IX, 2. 9.

91) Oros. l. c.

92) Sic Apostol. et Epp. 28 Lenn.

93) Lucian. Phal. pr. c. 11.

94) Ovid. Trist. III, 11. 40. 49. Tz. Chil. I, 651. V, 848. Dorotheus, idem sensus Epist. 5.

95) Sic unus Dorotheus.

ταῦρος, ὁ Φαλάριδος ταῦρος, ὁ περιβόητος ταῦρος [96], βοῦς χαλκοῦς, ταῦρος χάλκεος, ταῦρος ὁ χάλκεος, ταῦρος ὁ χάλκειος, ταυρος ὁ χαλκοῦς, ὁ ταῦρος ὁ χαλκοῦς, χαλκοῦς ταῦρος, ὁ χαλκός [97], bos, taurus, Phalaridis taurus, nobilis taurus, aeneus taurus, taurus aenus, aes Perilleum, tormentum, tormentum flammae, Siculus iuvencus, ars dira [98], teterrimum artis opus, poena.

D.

DE TAURI PERILLEI ARTIFICIO ET GENERATIM DE EXTERNA EIUS SPECIE QUAEDAM.

Tactus admiratione Tzetza, *Ταῦρος χαλκοῦς*, inquit, *ἔργον ὁποῖον* [99]: aliquanto verbosior est Lucianus, qui summis taurum laudibus effert ob singulare, quo erat perfectus, artificium: *τὸν βοῦν . . κάλλιστον ἰδεῖν καὶ πρὸς τὸ ἀκριβέστατον εἰκασμένον· κινήσεως γὰρ αὐτῷ καὶ μυκηθμοῦ ἔδει μόνον πρὸς τὸ καὶ ἔμψυχον εἶναι δοκεῖν* [100]: verum

96) Ap. Diod. Exc. de Virt et Vit. p. 591. *Περιβόητος* a Diodoro et aequalibus in laude ponitur, vid. Dorvill. ad Charit. p. 273.

97) Callimach. Fragm. 119, Epp. 5. Lennepius in Epp. 57 *χαλκευθῆναι* in *χαλκῷ καυθῆναι* mutans docte disputat de *χαλκῷ* usurpari solito de quovis vase aereo.

98) Sil. Ital. XIV, 216; reliquorum sedes locorum supra significata est.

99) Chil. V, 842.

100) Phalar. pr. c. 11.

est hoc declamitautium consuetudinis, ut omnia, etiam a nemine testata, velut visa a se ore pleno collaudent. Praeterea his partim reclamitat sententia Epistolarum Auctoris, ταῦρον μεγέθει πλείω τοῦ κατὰ φύσιν[101] i. e. magnitudine supra naturalem fuisse scribentis: hoc ille undecunque accepit, huius moduli bovem quia demissi eo homines esse feruntur, reperio habiliorem. Iconem Gelae fluvii, utpote quam multi pro Phalaridis tauro haberent, ταυρόκρανον[102] fuisse, non humana facie praeditam, ea ex confusione recte concludit Eckhelius.[103] Haec de tauri figura in universum; nunc singula videamus.

Tauro suo indiderat Perillus — hony soit qui mal y pense — aperturam, quae tum θύρα dicitur, tum θυρίς[104]: per eamque θυρίδα συνέβαινε καθίεσθαι τοὺς ἐπὶ τὴν τιμωρίαν.[105] Sed ecce iterum in diversa auctores trahunt, ostium illud utro in latere fuerit: Epistolarum Auctor fabrum simpliciter narrat ἀναπτύξαι τὸ πλευρόν[106], quae verba quasi interpretatur Tzetza: ἀνέπτυξεν, inquit, θύραν πρὸς τῷ πλευρῷ τοῦ ταύρου[107] i. e. θύραν

101) Epp. 5 p. 22.

102) Schol. ad Sophocl. Trach. 12.

103) Doctr. Numm. v. I, 1. p. 134.

104) Similiter conspexit Gyges ἵππον χαλκοῦν κοῖλον θυρίδας ἔχοντα ap. Plat. Rep. II. 359 D.; „aeneum equum, cuius in lateribus fores essent" Cic. Off. III, 9. 38. In equi Troiani γαστέρι ἦν κρυφίη θύρη Tzetz. Posthom. 639.

105) Polyb. XII, 25.

106) Epp. 5 p. 24.

107) Chiliad. I, 650.

παραπλεύριον [108]: etiam apud Orosium Perillus tauro „adfabre ianuam e latere componit": certius Naso acceperat fuisse „a dextra latus adapertile tauri." [109] Quorum sententiae oppugnantur a Luciano, artificem dicente ἀνοῖξαι τὸν ταῦρον κατὰ τὰ νῶτα [110], quod idem Polybius credidit; vituperat enim Timaeum, quod verum Phalaridis taurum a Carthaginiensibus haberi neget, quamvis sit documento ἡ θυρὶς περὶ τὰς συνωμίας τούτου τοῦ ταύρου διαμένουσα. [111] Quare in tergo tauri Perillei fuisse ianuam Polybius compererit oportet. Perillus autem, ut est captus meus, taurum erat commodius a latere aperturus; id erui mihi patiar nunquam.

Hac ianua postquam in taurum is, de quo supplicium sumeretur, erat coniectus [112], tum aes fervefaciendum curabatur, idque succensa flamma, subdito igne esse effectum, satis demonstrabit locutionum ea de re plerisque communium index: πῦρ ὑποκαίειν, ὑφάπτειν, ὑποστρωννύναι, ὑποστρωννύναι κάτω, ὑποχέειν τὸ κατασκεύασμα [113], subiicere flammam, subiectis flammis torrere, sub-

108) Chiliad. V, 843.

109) Trist. III, 11. 45.

110) Phalar. pr. c. 11.

111) Polyb. l. c.

112) Dicitur ἐς ταῦρον ἐμβιβάζειν, ἐμβάλλειν, βάλλειν ἐν, εἰςβάλλειν, βάλλειν εἰς, mittere, demittere, coniicere, contrudere.

113) Diod. XIX, 108. Basil. in Scholl. ad Gregor. Naz. apud Boissonad. l. c.

iectis ignibus torrere, subiecto igne torquere [114], carbonibus urere; discedit paullulum πῦρ ἐπισωρεύειν Tzetzae et πῦρ ἀνακαίειν Eudociae; περιάπτειν vero Epistolarum Auctoris in foculum (κλίβανον [115]), qualem tauro suppositum fuisse reor, parum quadrat. [116]

Ita is, qui intus haerebat, dum misere, fervefacto aere circumventus, torrebatur, nequibat quin (κατὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἀλγηδόνος [117]) ingemisceret: qui clamor quamdiu edebatur, μυκηθμὸς τῷ φυσικῷ παρόμοιος [118], μυκηθμῷ παραπλήσιος ὁ ἦχος ἐκ τοῦ κατασκευάσματος προςέπεσε τοῖς ἀκούουσιν [119]: in quam eandem sententiam, sed planius, Romani cum Basilio scribunt: taurus „mutabat gemitus mugitibus" [120], „hominum gemitu mugiebat" [121] h. e. mugitus pecudis, non hominis gemitus videbatur" [122]: ὡς τῇ οἰμωγῇ φοβερὸν ὑπηχεῖσθαι ὥςπερ τοῦ βοὸς μυκωμένου. [123] Recte; luctuoso spectaculo sic afficiebantur adstantes, ut taurum

114) Scholl. in Iuvenal. p. 245 Cr.

115) Cf. Photii Lex. vv. Σαρδόνιος γέλως.

116) Ideo Lennepius Epp. p. 25 περιήψαμεν diremturus est in πῦρ ἥψαμεν vel πῦρ ὑφήψαμεν.

117) Polyb. l. c.

118) Dorotheus.

119) Polyb. l. c.

120) Sil. Ital. XIV, 214.

121) Cicero in Scholl. ad Iuvenal. l. c.

122) Oros. I, 20.

123) In Scholl. ad Greg. Naz. l. c.

audire mugientem sibi viderentur, non hominem miserias suas deplorantem. Quare si quis est, qui artificis quadam machipatione vere mugiisse taurum credat, errat longissime: quem errorem non satis cavit Maximus Valerius: „inclusi .. mugitus resonante spiritu edere cogebantur, ne eiulatus eorum humanae sono vocis expressi tyranni misericordiam implorare possent.“ [124] Sed iam tempus est etiam de nugis propriis Luciani videre: nam is [125] facit Perillum Phalaridi suadentem, applicaret *τοὺς αὐλοὺς τούςδε πρὸς τοὺς μυκτῆρας τοῦ βοός .. ἡ δὲ βοὴ διὰ τῶν αὐλῶν μέλη σοι ἀποτελέσει:* quas argutias Tzetza, non ausus spernere, bis adeo versibus inclusit: *τοῖς μυξωτῆρσι τοῦ βοὸς ἐτέκτηνεν, Περίλαος, αὐλίσκους, ὥστε .. τὴν βοὴν τοῦ πάσχοντος αὐλεῖν ἐν τοῖς μυκτῆρσι. Σὺ δὲ, Φάλαρι,* inquit Perillus, *ἡδονὴν τοῖς στεναγμοῖς ἕξεις αὐλοῖς μυκτήρων.* [126] Haec apud Tzetzam reperi: satis igitur mirari non queo Fridericum Münterum, quum scribit [127]: „Tzetzes will von ihm, dem Stiere des Phalaris, wissen, daſs er . . Pfeifen in der Nase gehabt, so daſs das Geschrei der Kinder wie Pfeifentöne geklungen. Dieses letztere ist aber gewiſs ein späterer Zusatz.“ Scilicet suam vel Pauwii potius opinionem [127] Münterus cum Tzetza quamvis invito communicat: quod quid sit, post videbitur.

---

124) V. Max. IX, 2. 9 ext.

125) Phal. pr. c. 11.

126) Chil. V, 843. 846. I, 649. 658.

127) Relig. der Karthag. p. 22.

E.

TESTES VETUSTIORES IN HAC PERSTANT SENTENTIA, PHALARIM MACHINA PERILLEA USUM ESSE AD CAPIENDAM DE SONTIBUS POENAM. INITUR NUMERUS EO SUPPLICIO PUNITORUM. QUID RECENTIORUM NONNULLIS SUPER TAURO VISUM SIT, INDICATUR.

Quot scriptores supra diximus [128] inferre tauri mentionem, totidem [129] pro certo ponunt, artem Perilleam apud Phalarim fuisse exercendae saevitiae instrumentum. Qui quoniam sic existimant, age quaeramus etiam, quemnam hoc modo necatum esse norint. Et hic quidem (utar Diodori verbis) *ὅτι Περίλαος πρῶτος ἐπειράθη τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας* [130] sive *ὅτι Περίλαος πρῶτος τὴν ἀπόδειξιν τῆς ἰδίας τέχνης ἐν τῇ καθ' αὑτὸν τιμωρίᾳ ὑπομείνας ἀνῃρέθη* [131] non minus novem decemve auctores sunt: Callimachus, Diodorus, Dorotheus, Ovidius, Valerius Maximus, Plinius, Lucianus [132], Orosius, Epistolarum Auctor huiusque adpendices cet.: Ovidii Scholiastes minus exacte scribit: „Perillus ipse in eo, tauro, ex-

---

128) Vide litteram A huius dissertationis.

129) Iudex severior me dicet mei oblitum esse, qui non exemerim Timaeum, quia huius sententia ex parte tantum nota sit; sed vide dissertationis finem.

130) Maii Excerpt. Diod. p. 20 ed. Rom.

131) Excerpt. de Virt. et Vit. p. 591; T. X p. 68 Bip.

132) Etiam hic nonnihil affingit Lucianus, vide Excursus sectionem V.

tinctus est" [133] et Pindari interpres Graecus in incerto habet: *φασὶ Περίλαον πρῶτον κατακαῆναι.* [134] Artifex autem cur „primus eum expertus cruciatum" sit [135], caussa alia affertur nulla, nisi quia fuerit, ut memini ante, tormenti illius inventor.

Iam post Perilai necem qui subierint idem supplicii, nominatim citari apud probos scriptores non memini; nam Epistolarum Auctori de Cleombroto [136] quodam in taurum demisso narranti ante nemo credet, quam dederit consponsorem: in universum tamen hinc illincque significatur [137] multitudo crematorum, velut a Polybio: *τοὺς ἐπὶ τὴν τιμωρίαν*: a Cicerone [138]: „quo vivos, supplicii caussa, demittere homines solebat"; „inclusorum hominum gemitu mugiebat taurus" [139]: a Diodoro [140]: *ταῦρος διαβεβοημένος πρὸς τὰς τῶν βεβασανισμένων τιμωρίας*, ibidemque *ἡ εἰς τοὺς ἀτυχοῦντας ἀσέβεια.* Epistolae quamvis sint humanitatis plenae, nihilo tamen secius ibi etiam *ἔμφρουροι τῷ ταύρῳ, εἰς τὸν ταῦρον ἀνηλωμένοι* cet. memorantur [141]; adeoque est ubi septem et tri-

---

133) In Ibin 439.

134) Pag. 310 Bckh.

135) Plin. l. c.

136) Epp. 50 et 59 L.

137) De Luciani nugis v. Excursus sectionem V.

138) Verrin. IV, 33.

139) In Scholl. ad Iuvenal. l. c. Hunc Ciceronis locum e libro de Republica tertio sumtum esse, recte contendit Scholl. in Iuvenal. nuper editorum censor in Annall. Heidelb. m. Mai. a. 1826 p. 437.

140) Diod. XIX, 108.

141) Epp. 13 et 95.

ginta concremati esse dicuntur [142]; quem numerum, quia grandior videbatur, sequens epistolas illas Tzetza deminuit: τινὰς κακούργους ἔκαυσεν ἐν ταύρῳ. [143] Denique, ut simillimum veri est, matrem Phalaridis et amicos in tauro obiisse, ita, an pari leto ipse Phalaris sit affectus, incertissimum. Examinavi super ea re diligenter sententias, haec tamen omnia, ne in plura studia distraherere, postremam in dissertationem releganda duxi. [144]

Multi quoque recentiorum, sicubi occasio ita fert, tauri Perillei reminiscuntur; sed credi possit, necne, tyrannum eo tauro esse tanquam maleficorum tormento usum, super hoc pars satius habet prorsus tacere, pars praefracte negat. Iohannes Gilliesius ita censet [145]: „Timäus ... stellt die Erzählung von des Phalaris ehernem Stiere als ein blofses Mährchen dar. Zwar versucht Polybius den Timäus zu widerlegen; aber, wie mir dünkt, in dem Hauptpunkte mit wenigem Glücke. Auch ist es nicht zu verwundern, dafs dieser einsichtige Schriftsteller von dem Strome mit fortgerissen worden." Parum intelligentem se is, opinor, ostendit, qui a veri investigatione abripi se patitur impetu alia omnia sentientium. Augustus Hirtius, ubi de fingendi arte a Graecis culta exponens Perilli memor est, taurum itidem, sed sententia fluctuante

142) Epp. 58 p 188.

143) Chil. V, 921.

144) V. Excursus sectionem IV.

145) Gesch. v. Alt-Griechenl. Th. II p. 115 ex interpret. Teuton.

tollit, fidentius scribit haec [146]: „die Fabel von einem solchen Werkzeuge der Tyrannei, wie jener Stier gewesen seyn soll, spricht sich von selbst aus": verum in re ita dubia et controversa tam levi labore posse quenquam defungi pernego; imo ne licet quidem tot praestantium hominum testimonia uno solo calami ductu convellere. Gravius cum Böttigero certamen instat, cuius in novissimo libro [147] super tauro haec produntur: „Wahrscheinlicher . . dürfte die Muthmafsung sein, dafs die . Geschichte vom ehernen Stiere des Phalaris nur aus einer alten Sage von den phönizischen Menschenopfern abzuleiten sei. Die Zeugnisse . . lassen an der Wirklichkeit eines solchen Marterinstruments kaum zweifeln. . Aber eine Veranlassung zu jenem Stiere mufs auch hier gedacht werden können und diese findet sich in der grausamen Hinrichtung der Fremden auf allen Küsten, wo die Phönizier ihr Wesen trieben." Quam sententiam dum annotatione pererudita confirmat [148], addit inter alia: „Der Uebergang vom Molochopfer, wo einem stierköpfigen Götzen . . ein Mensch in die Arme gelegt wurde, zu einem vollkommenen Stierbilde . . ist durchaus nur eine Steigerung oder ein neues Raffinement derselben Grausamkeit." In his dictis ingenii acumen aeque ac sollertiam excogitandi agnosco, sicque potuisse fieri ultro pro-

146) Recitata ea sunt in consessibus Academiae Barolin. m. Iun. 1806; v. Amaltheae Vol. I, p. 260. Eadem sed brevius nuper attigit Hirtius in censura libelli Mülleriani de Phidiae vita in Annall. crit. Berolin. m. Septbr. 1828.

147) Ideen zur Kunst-Mythologie. Erster Curs. p. 359.

148) Libro laudato p. 380—387.

fiteor; putem vero, tormentum illud cur taurina maxime forma effictum sit, etiam alias caussas inveniri. Praeterea Böttigerus nescio quam ob caussam Friderici Münteri non recordetur dicentis [149]: „Timäus erzählt beim Scholiasten . . die Agrigentiner hätten den Stier in's Meer geworfen. . Auch Polybius citirt den Timäus und sagt: er habe geleugnet, daſs der Stier in Karthago jener des Phalaris sei. Timäus gestand also doch das Dasein eines solchen ehernen Stiers in Karthago zu!" Haec an vera sint, diu dubitavi; sed postquam Timaei verba semel iterumque exegi accurate, huic illum opinioni non alienum esse vidi. Nec Pauwii sententia [150] praeteribitur, secundum quam Phalaridis taurus, quum Carthaginem Agrigento transferretur, non locum modo hominesque mutavit, sed Baali est hoc consilio consecratus, ut, si qui immolarent infantes, ad istam necessitatem illo uterentur; sed ipsa Pauwii verba accipe: „le Sicilien Timée . . prétendoit être très-versé dans la critique historique; et pour donner une preuve de sa sagacité, il s'avisa de nier l'existence du taureau de Phalaris, sous prétexte qu'on n'en voyoit aucune trace en Sicile; mais depuis on le retrouva à Carthage, où il avoit été transporté parmi d'autres dépouilles enlevées à Agrigente: et les Carthaginois l'employoient, selon toutes les apparences, à brûler des enfans vifs en l'honneur de Molok:" quae Pauwii coniectura Müntero [151] palmaria videtur.

---

149) Relig. der Karth. p. 22 Not. ed. alt.

150) Recherches philosophiques sur les Grecs T. II p. 412. Berol. 1788.

151) Relig. der Karth. l. c.

F.

IN MONTE COMMUNITO PHALARIS SUO TAURO RECEPTACULUM PARAVERAT: QUI MONS, UT PRODITUR, EA EX RE EST *ἜΚΝΟΜΟΣ* NOMINATUS.

Quo tempore adversum Carthaginienses bellum Agathocles reparavit, hauddum aliquot castella corruerant, quae a Phalaride prope ab Agrigento excitata usurpatave aut vere erant aut dicebantur saltem: Diodorus, expers criticarum suspicionum, audacter appellat *τὰ Φαλάριδος γεγενημένα φρούρια.*[152] Quorum unum fuit *τὸ προσαγορευθὲν ἀπ' ἐκείνου, Φαλάριδος, Φαλάριον*[153]: idque Phalarium ab Agrigento in orientem versus spectasse, attente legenti iam Diodorus patefaciet: huc redeunt etiam a Cluverio[154] et Dorvillio[155] disputata.

Eiusdemmodi propugnaculum ferunt fuisse D a e d a l i u m; nec id abhorret a similitudine veri. Nimirum locis maritimis, per quae ab Agrigento Syracusas venitur, Antoninus[156] interserit „Daedalium," Graece, ni fallor, *Δαιδάλειον*[157]: qua forma a *Δαίδαλος* deflexa haud scio an apte potuerit urbs

152) Diod. XIX, 108.

153) Diod. l. c. *Φαλαρίδειον* oportebat, sed *Φαλάριον* fere ut *Ἀδώνιον* pro *Ἀδωνίδειον*, cf. Phryn. Cl. Lob. p. 372.

154) Sicil. antiq. I, 16.

155) Siculor. T. I, p. 112 s.

156) Itinerar. p. 94 Wess.

157) *Δαιδάλιον*, ut in Cluverii picta Sicilia legitur, minus mihi arridet.

aliqua significari, aliud maius minusve opus a Daedalo effectum [158] percommode potuit. Daedalium igitur (quippe a proficiscentibus attingitur) arx videatur fuisse a Daedalo, ut tenebat fama, conditore sortita nomen; is enim artifex credebatur quaedam opera perfecisse cum in reliqua Sicilia, tum *κατὰ τὴν νῦν* [159] *Ἀκραγαντίνην*. Praeterea Daedalium hoc, quod suspicamur modo castellum Phalarideum fuisse, ab Agrigento debuit esse modico intervallo remotum, docet ordo locorum ab Antonino [160] servatus.

Restat *ὁ Ἔκνομος λόφος*, quem et ipsum *φασὶ φρούριον γεγενῆσθαι Φαλάριδος* [161]: hoc igitur, quod erat in Ecnomo colle exstructum, propugnaculum, ut ego suspicor, tertium in Agrigenti vicinitate [162] Phalaris habuit; nam Cluverio, qui, Daedalium ipsi Ecnomo colli imponens [163], duo tantum numerat, non obsequar, quia nihil affert. [164]

---

158) Diod. Sic. IV, 30 *ἔργα πολλὰ καὶ μεγάλα .. ἀπὸ τοῦ κατασκευάσαντος, Δαιδάλου, Δαιδάλεια καλούμενα:* cf. Etym. M. p. 251.

159) Loquitur Diodor. IV, 78

160) Itinerar. l. c.

161) Diod. XIX, 108.

162) De intervallo v. Cluver. et Dorvill.; Bentleius Opusc. p. 428 unius diei itinere ab Agrigento removet.

163) Sicil antiq. l. o.

164) Nuper Hittorf et Zanth polliciti sunt se in opere suo „Architecture antique de la Sicile" etiam expondituros esse „über die Kapelle des Phalaris;" v. Kunstblatt p. 182 Nro. 46 a. 1827. Hoc Phalaridis delubrum nescio quid differat a Phalario.

Is autem Ἔκνομος λόφος in tauri historia nonnihil momenti habet; etenim ἐν τούτῳ λέγεται κατεσκευακέναι τὸν τύραννον ταῦρον χαλκοῦν· ... διὸ καὶ τὸν τόπον Ἔκνομον ἀπὸ τῆς εἰς τοὺς ἀτυχοῦντας ἀσεβείας προσηγορεῦσθαι.[165] Hunc montem nominat Plutarchus τὸ Ἔκνομον[166], etiam Polybius, ni fallor, ὑπερῷον εἰς Ἔκνομον scribens[167]; Diodorus tum τὸν Ἔκνομον λόφον, tum τὸν Ἔκνομον καλούμενον λόφον: unde patet significatum esse montem scelestum, saxum sceleratum, rupem nefariam. Super qua iugi illius appellatione quum aliunde nihil sciatur, Diodoro credamus oportet de tauro ibi posito id esse nominis tractum: verum ipse Diodorus hoc non pro certo affirmat, sed tanquam populi rumorem refert, quo finguntur non pauca: poterat mons ille sic appellari longe alia de caussa; haec quia ignorabatur, vulgus viciniam Agrigenti et Phalarim eiusque ingenium ac mores reputans, nullo negotio adductum sit ut sibi illius nominis caussam recte repetivisse videretur a tauro Phalaridis ibi olim custodito. Ex ipso vocabulo ἔκνομος nihil elicies: antiquum est et probum, quanquam a vetustis scriptoribus haud nimis frequentatum.[168]

165) Diod. l. proxime c.

166) Dionis c. 26.

167) Polyb. I, 25.

168) Ἔκνομος, ὁ ἡ, i. e. ἔξω νόμου, παρὰ νόμον: Suidas Ἐκνόμοις: παρανόμοις. Ἔκνομος αὐδή Orph. Argon. 59; θέα ἔκνομος Philo V. M. 3; ἔκνομοι τιμωρίαι Diod. XIV, 113; ἐκνόμως Aeschyl. Agamem. 1482.

G.

DE TAURO QUIDNAM SIT FACTUM DENIQUE, IN CONTROVERSIAM VENIT, POTISSIMUM QUOD POLYBIUS, GRAVISSIMUS AUCTOR, DISCREPAT A TIMAEO, HOMINE ET IPSO MINIME VANO. SINGULORUM EA DE RE NARRATIONES ATQUE IUDICIA SEVERE ET AD PONDUS EXAMINANTUR.

Timaeus in iis libris, quos de Sicula historia scripsit, facere, quin aperiret etiam super tauro Phalaridis sententiam suam, haud paene potuit. Quem is locum multis paucisne illustraverit, in ambiguo quidem est, quoniam comminutus ille, non integer hodie lectitatur; credibile tamen, eum volubiliter verba fudisse in campo stantem, ubi ludificandi mordendique cupido vagari latius licebat. Etiam ex indignantis oratione Polybii [169] colligo, prolixe hic disseruisse Timaeum. Sed quo ille curiosior ad exsequendum fuit, hoc patimur aegrius, nihil ad nos esse propagatum, nisi quae fuerit omnium ab eo disputatorum summa. Ecce autem ad iacturam subito turbae accedunt: videlicet e Timaei super tauro dictis Polybius longe aliam, ac Pindari Scholiastes, summam effecit; quanquam sua uterque manu Timaei libellos evolvisse videatur. Hi igitur quia manifesto pugnantia loquuntur, idcirco pridem est quaesitum etiam, utrius narrationi crederetur verius. Et Eckhelius [170] quidem expedire sic nodum aggreditur, ut a Sophista

169) Polyb. XII, 25; cf. Böttigeri Kunstmyth. p. 380, 12.

170) Doctr. Numm. I, 1. p. 134.

(Scholiasta volebat dicere) perscribi putet, quae non legisset unquam apud Timaeum. Quid vero Bentleius? non ille quidem diserte reum mendacii Scholiastam facit[171], sed tamen paucos fore praesagit, qui Scholiasten Polybio anteponant. His adsensum a me non est: nam Pindarico interpreti cur abrogetur fides, caussa nulla est; quum, quae narrat, ad explicandum quidem per sint difficilia, verum, ut post paullo demonstrabitur, haud indigna Timaeo; porro Scholiastes ut in hac caussa scripturus esset secus, ac Timaei mentem esse viderat, dic quid rationis potuerit habere; Polybium contra, id ut vellet facere, haud nihil caussarum adduxerit.

Annis amplius ducentis post, quam exutus regno Phalaris est, ab Agrigentinis, quid actum esset de tauro, nihildum certi fuisse exploratum patet. Quo detestabilior autem illius tyranni immanitas perhibebatur fuisse[172], quoque magis omnium in ora abierant, ἅς ἐπενόει, χαλεπώταται κολάσεις[173], triste potissimum illud in tauro letum[174]; hoc curiosius voluisse homines doceri arbitror, superareutne saevitiae illius vestigia instrumentave, Perilli maxime artificium quo in angulo haereret. Timaeus igitur, quum etiam tum (Olymp.

---

171) Opusc. p. 438 Lips.

172) Seneca de Clem. II, 4 super humanum ac probabilem modum saevisse eum aiunt.

173) Scholl. ad Luciani Verae H. II, 23 cf. Anecd. Bachmanni T. II, p. 326. Eudoc. p. 412. Φάλαρις . . καινοτέρων κολαστηρίων εὑρετής.

174) Hoc letum temetsi non ipse Phalaris excogitaverat, tamen ab alio inventum retinuerat.

fere 128) [175] multa in sententiis varietas Siculos distineret, hos ivit rumusculos, tanquam nebulas, dispulsum diligenti huius totius quaestionis retractatione. Quod ille mihi videtur ita exsecutus esse, ut diversas opiniones coniecturasque proponeret in utramque partem disputationem habens, velut quid rationis et caussae habeant tum qui defendant fuisse, tum qui negent unquam eiusmodi taurum cet. Ibidem loci prodidit etiam, quam ipse imbiberat animo, opinionem, narrando: *τὸν τοῦ Φαλάριδος ταῦρον οἱ Ἀκραγαντῖνοι κατεπόντωσαν.* [176] Hoc undecunque fluxit, fatendum est potuisse tauro tale quiddam accidere: nam, ut expono alibi [177], in Phalarim tandem vi grassata est Agrigenti universa multitudo; quae semel coorta potuit eo furoris progedi, ut taurum etiam, velut si fuisset maleficiorum minister (*ὑπηρέτης* [178]), in mare mittendo vindicaret: accedit, quod tyrannorum, qui ceciderant, reliquiae subierunt nonnunquam id poenae genus. [179] Haec sunt fere, quibus hanc Timaei narrationem tueare; non illa quidem cassa veri specie, sed tamen aliquatenus infirma: primum namque taurum esse clam de medio remotum, nequeo credere, siquidem talia ulturis interesse nemo non vult; deinde pronius est ad fidem, eodem tempore, quum ipse Phalaris exagitabatur, etiam in taurum esse crudeliter consultum: at tale facinus et illo quidem temporis

---

175) V. Göller de situ Syracus. p. 181.

176) In Scholiis Pind. l. satis noto.

177) V. Excursus sectionem IV.

178) Eurip. Troad. 427 M. *ἓν ἀπέχθημα πάγκοινον βροτοῖς, οἱ περὶ τυράννους καὶ πόλεις ὑπηρέται.*

179) V. Excursus sectionem V.

articulo[180] factum in vulgi ora et sermunculos abisset, verbo dicam, vulgatior fuisset ea fama nec ab uno Timaeo excepta.

Hanc de tauri quasi obitu narrationem suam quum litteris consignaret Timaeus, Agrigenti etiam tum multi inveniebantur, qui affirmabant serio, taurum ad eam diem in urbe superstitem custodiri. Horum tamen explodebat sententiam Timaeus docendo: *τὸν ἐν τῇ πόλει, Ἀκραγαντίνων, δεικνύμενον μὴ εἶναι τοῦ Φαλάριδος, καθάπερ ἡ πολλῶν κατέχει δόξα, ἀλλ᾽ εἰκόνα Γέλα τοῦ ποταμοῦ.*[181] Verissime: nam etsi notum est nemini unde et cur Gelae[182] fluvii simulacrum Agrigenti steterit, urbisne patriae in memoriam (*Γελῷοι Ἀκράγαντα ᾤκισαν*[183]), an vi Gelensibus ereptum inter manubias[184]; tamen **summo iure**[185] Timaeus impugnavit sententiam

---

180) Quae inter excutiendum Phalaridis iugum vel statim post facta sunt, ea omnia videntur curiose memoriae infixa fuisse; documento est etiam hoc apud Plut. polit. praec. p. 821 E.: *Ἀκραγαντῖνοι ἀπαλλαγέντος Φαλάριδος ἐψηφίσαντο μηδένα φορεῖν ἱμάτιον γλαύκινον· οἱ γὰρ ὑπηρέται τοῦ τυράννου γλαυκίνοις ἐχρῶντο περιζώμασιν.*

181) Scholl. Pind. l. c.; e vocibus *δεικνύμενον ταῦρον* liquido discitur tempus, quo simulacrum illud ostentatum est. Vide etiam de hoc ipso Scholio disputantem Böttiger. l. l. p. 382, qui tamen leviter erravit.

182) *Γέλας, λα, ὁ,* est fluvius; *Γέλα, λας = λης, ἡ* urbs: sic *Ἱμέρας* fluvius, *Ἱμέρα* urbs, v. Dissertatt. Sic. I, p. 204.

183) Thuc. VI, 4.

184) V Eckhel. Doctr. Numm. l. c. Multa Eckhelio negotia facessiverunt haec Timaei verba ideoque Excursum texueram „De fluviis taurorum forma positis;" sed rescidi illum, quia in opere Nöhdeniano de eodem argumento disseritur.

185) V. Boeckh. ad Scholl. Pind. p. 310.

horum, qui in Agrigenti urbe Phalaridis taurum etiam tum haberi rebantur: siquidem is taurus (Phalarideus) tum e Sicilia cesserat, quod erat pridem, iudice Timaeo, in mare abiectus; verius, quod Olympiade 93 abductus et Olympiade demum 158 redditus necessario ex insula exsulabat Olympiade 128 [186], quo fere tempore Timaeus conficiendis libris vacabat.

Et illud quidem par sententiarum evertisse, saltem, hoc si parum modeste dixero, impulisse mihi videor. Lucianus autem quum non ad fidem historiae, animi potius caussa finxerit, taurum Delphos esse dono missum, idcirco hic loci [187] illa narratio a me nullo numero habetur. Mora igitur nulla erit, quin exponam de tertia eademque ultima sententia, quam qui amplexantur, taurum non apud Agrigentinos relinqui, non aqua suffocari, asportari Carthaginem faciunt inter alia Siculorum spolia. Nimirum similis veri, id quod alio loco ante dixi, visa mihi est opinio haec, longo post exstinctum Phalarim intervallo taurum esse enixe quidem, sed frustra, requisitum. Super illius igitur tauri extrema sorte dum alii alia coniectabant, facile etiam inventi sint, qui, reputantes praedae e Sicilia, Agrigento potissimum abactae multitudinem, censerent taurum etiam potuisse fieri Afrorum rapinam. Atque haec tauri Carthaginem ablati fama, non liquet, quo tempore et ubi primum coepta sit haberi; Timaei tamen aetate non lata modo est, sed ab hoc ipso itidem impugnata; idque nequaquam mirum, quia submersum ille taurum unice credidit. Videlicet inter eos scriptores, qui-

186) Constat ratio, v. infra et cf Göller. de Syracus. p. 274.

187) V. Excursus sectionem V.

bus in hac caussa hodie licet uti, de translato Carthaginem tauro primus loquitur Polybius: οὗτος ὁ ταῦρος, inquit, κατὰ τὴν ἐπικράτειαν τῶν Καρχηδονίων μετηνέχθη ἐξ Ἀκράγαντος εἰς Καρχηδόνα[188]: isque dum pergit hanc suam sententiam muniturus, obiurgat Timaeum quod scripsisset μὴ εἶναι τὸν ἐν Καρχηδόνι ταῦρον ἐξ Ἀκράγαντος[189], unde Timaeo famam illam fuisse notam apparet. Sed omittamus Timaeum, e Polybio statim quaesituri, quid habeat caussarum, cur tanta cum fiducia taurum abactum esse prouuutiet. Duas apud ipsum caussas reperio; unam, quod structura tauri (e Carthagine per Scipionem recepti) congruat ad Phalaridei structuram, praesertim τῆς θυρίδος διαμενούσης περὶ τὰς συνωμίας, δι' ἧς συνέβαινε καθίεσθαι τοὺς ἐπὶ τιμωρίαν[190]: alteram, quod non ullo modo potuerit εὑρεθῆναι τὸ παράπαν ἑτέρα αἰτία, δι' ἣν ἐν Καρχηδόνι κατεσκευάσθη τοιοῦτος ταῦρος.[191] Huic, quam proxime dixi, caussae perpauca vel potius nihil possis opponere; nam si obiicias, ubi Κρόνος χαλκοῦς[192] sit habitus, ibi etiam χαλκοῦν ταῦρον potuisse ad eundem similemve usum effingi et intercedere adeo alteri cum altero simulacro quandam similitudinem; haec igitur obiicientem te moneo ut illud unum memineris, Polybio per aetatem licuisse multo quam nobis accuratiora resciscere tum de Saturni illius ex aere

188) Polyb. XII, 25.

189) Polyb. l. c.

190) Polyb. l. c. cf. supra litt. D., ubi de tauri specie.

191) Polyb l. c.

192) De hoc qui plura scire cupit, is adeat Münteri et Böttigeri libros recens editos.

facti tnm de similium, si quae illic erant, machinarum usu; eum vero haec silentio praeterire, non quo fuerit ignarus, sed quia ad taurum nihil pertinere rimando intellexerat. Sic eqnidem sentio de posteriore, quam pro se affert Polybius, caussa; aestimemus iam porro, prior quam magni ponderis sit ac momenti. Non pauci erunt, qui dicant, quia Scipio taurum receperit, idcirco esse verendum, ne Polybius, quod illius in Scipiones studium fnit, victoriam victoremque velit adaugere mordicus Scipioni suo etiam nobilitati illius tormenti recuperationem vindicando: eundem porro historicum videri sola ea de caussa tam Timaeo succensere, quod timeat, ne, Timaei sententia vincente [193], ille Scipioni honos auferatur. Quam ad criminationem respondeo haec: Polybius nullo modo is erat, qui omnia, veritatem praesertim, non flocci penderet, modo honorem quantumvis pusillum uni fautornm servaret. Idem si Timaeum, quanquam minime negavit, tamen insimulat negasse *γεγονέναι τοιοῦτον, ταῦρον, ἐν τῇ προειρημένῃ πόλει, Ἀκράγαντι* [194], hoc qnidem ab eo fit iniuste, sed habet aliquid excusationis: Polybius, ut videtur, et ipse diu super tauro quaesierat, semper tamen remanserat aliqna caligo, quae post superatam demnm Carthaginem discussa est: tauri inde reportati species congruebat ad formam, qualem Phalaridei fuisse apud multos legerat; iam non satis habet eam similitudinem reperisse, rimatur etiam, num quid forte Carthaginienses ipsi sibi talem taurum effecissent. Nulla inventa caussa ad hanc devenit sententiam in eaque snmmo iure per-

93) Nimirum taurum esse mari mersum.

94) Polyb. l. c.

stat: Phalaridis taurus olim vere fuit; a praedantibus tamen Afris e Sicilia emotus, multo post demum in luce Graeciae iterum conspectus est. Iam, ecce, Polybio obrepit somnus: suam de tauro sententiam pro veritate exploratissima habens non impetrat a se, ut propositas a critico Timaeo sententias cum cura et tranquillo animo ponderet singulas, sed taurum ab eo in fictis fabulis esse deputatum scribit, monstraturus scilicet, posse nihil nec perversius nec acerbius cogitari Timaeo, qui vel luce solis clariora non erubescat pernegare.[195] Haec a Polybio scripta postmodo Diodori sic adsensum tulerunt, ut itidem negasse Timaeum dicat, itidem ferociter eum obiurget, ne diu te teneam, Polybium velut antesignanum secutus esse videatur: τοῦτον τὸν ταῦρον, inquit, ὁ Τίμαιος ἐν ταῖς ἱστορίαις διαβεβαιωσάμενος μὴ γεγονέναι τὸ σύνολον, ὑπ᾽ αὐτῆς τῆς τύχης ἠλέγχθη.[196]

Ceterum existimatio haec, Phalaridis taurum, postquam inter manubias Carthaginem ablatus diu ibi delituisset, Romana virtute esse receptum redditumque Siculis, tandem communis, inter Romanos potissimum, esse coepit: eaque persuasio ut quam latissime manaret, non Scipionum[197] magis,

195) Böckhius ad Scholl. Pind. p. 310 scribit: „cuius rei (negati tauri) Polybius Timaeum disertis quidem verbis insimulare non ausus erat, quanquam hoc per ambages verborum significat." Hoc inter legendum sensi etiam indeque collegi Polybium bene scisse, quid in Timaeum culpae inclinaret.

196) Diod. XIII, 90.

197) V. bonam animadversionem Angeli Maii ad Cic. de rep. III, 31 p. 261 ed. Rom., ubi coniicit in lacuna illa mentionem fuisse controversiae illius, Scipionem vero Polybii sententiam esse tuitum.

quam universi Romani nominis curam fuisse defendo. Verum de his satis dictum est: sequitur concinnata e testimoniis veterum narratio, quo quidque ordine et modo, quum taurus locum mutaret, gestum sit.

Polybius quum scribit avectum e Sicilia taurum esse *κατὰ τὴν ἐπικράτειαν τῶν Καρχηδονίων*[198], id temporis intelligit, ubi duarum eversione urbium aucti elatique Carthaginienses Agrigentum iuvaserunt Olympiadis 93 tertio anno, qui est annus ad nostram rationem a. C. 406. Quam urbem Hamilcar, dux Poenorum, postquam menses octo obsidione clausam tenuerat, tandem *μικρὸν πρὸ τῆς χειμερινῆς τροπῆς*[199] cepit: potitusque victoria *τὰ πολυτελέστατα τῶν ἔργων ἀπέστειλεν εἰς Καρχηδόνα, ἐν οἷς καὶ τὸν Φαλάριδος συνέβη κομισθῆναι ταῦρον.*[200] Postea quum bona belli fortuna sic adiuvisset Romanos, ut Olympiadis 158 tertio anno (a. C. 146) Carthaginem occupatam funditus eruerent, Scipio *τοῖς ἀπὸ τῆς Σικελίας . . . πρεσβευταῖς . . προςέταξεν ἑκάστους τὰ ἐκ τῶν ἰδίων πατρίδων εἰς Καρχηδόνα πάλαι ποτὲ μετενηνεγμένα ἐπιλεγομένους ἀποκομίζειν εἰς Σικελίαν.*[201] De raptis olim ad id locorum multa superabant, quae recepta sunt: *ἐν δὲ τούτοις ὑπῆρχε καὶ ὁ περιβόητος ταῦρος ἐξ Ἀκράγαντος.*[202] „Quem taurum quum redderet Scipio Agrigentinis, dixisse dicitur: aequum esse illos cogitare, utrum

198) Polyb. l. c., similiter Diodor. XIII, 81 *τὴν τῶν Καρχηδονίων ἐπικράτειαν.*

199) Diod. XIII, 91.

200) Diod. l. c. Incertum hoc est, an taurum in Ecnomo colle (v. litt. F.) ceperint.

201) Excerpt. de Virt. et Vit. p 591, T. X, p. 68 Bip.

202) Exc. de Virt. l. c.

esset utilius, suisne servire, an populo Romano obtemperare: quum idem monimentum et domesticae crudelitatis et nostrae[203] mansuetudinis haberent." Itaque post ducentos sexaginta fere annos[204], quam abactus est, taurus pristinam domum revisit; Verrisque cupiditate, ni fallor, intactus[205] ad Augusteam usque aetatem Agrigenti stetit, nam *τῶνδε τῶν ἱστοριῶν γραφομένων*, inquit Diodorus[206], *ἦν ἐν Ἀκράγαντι.*

H.

PHALARIDIS PER TAURUM FERVEFACTUM SAEVIENTIS REPERTI SUNT AEMULATORES DUO. QUORUM ALTER, AGATHOCLES, TORRUIT SONTES LECTO ILLIGATOS, IN EQUUM CONIECTOS ALTER, AEMILIUS CENSORINUS.

Agathocles ex Africa in Siciliam vix redierat, quum accita cum parte copiarum Segestam tetendit. Ibi (laborabat enim e bellorum nervis, pecunia) expertus est omnia, ut a Segestanis exprimeret nummos. Qui quum aegre conferrentur, Agathocles, insuper caussatus insidias sibi structas, omni suppliciorum genere eos cruciavit, *ἐξεῦρε δὲ καὶ ἑτέραν τιμωρίαν ἐμφερῆ τῷ Φαλάριδος ταύρῳ·*

203) Loquitur Cic. Verr. IV, 33.

204) Sic Diod. XIII, 90; conveniunt numeri 406 — 260 = 146.

205) Sic sentio quanquam scribit Cic. Verr. I, 5: idem iste praetor monimenta antiquissima partim regum .., partim etiam nostrorum imperatorum, quae victores Siculis dederunt aut reddiderunt, spoliavit nudavitque o m n i a.

206) Diod. XIII, 90.

κατεσκεύασε γὰρ κλίνην χαλκῆν, ἀνθρωπίνου σώματος τύπον ἔχουσαν.. εἰς ταύτην δ' ἐναρμόζων τοὺς βασανιζομένους ὑπέκαιε ζῶντας, τούτῳ διαφερούσης τῆς κατασκευῆς ταύτης παρὰ τὸν ταῦρον τῷ καὶ θεωρεῖσθαι τοὺς ἐν ταῖς ἀνάγκαις ἀπολλυμένους.[207] Diu, sed incassum, studui reperire, Diodorus quo potissimum auctore hanc vitae Agathocleae partem exposuisset: quem ipse damnat, Timaeum[208] secutus non est; praeter Calliam et Antandrum, quos in Agathoclis historia videtur ille expressisse[209], Duris[210] consuli potuit; utut fuit, rebus ab Agathocle gestis Diodorum aeque studii pertinaciam atque integritatem animi adhibuisse confessa res est.[211]

De Phalaridis imitatore altero, Aemilio Censorino, leguntur apud Plutarchum, qui dicitur, haec:[212] *Ἐν Αἰγέστῃ*[213] *τῇ πόλει Σικελίας*[214] *ἐγένετο*

---

207) Diod. Sic. XX, 71. cf. Böttigeri Ideen zur Kunstmyth. p. 384.

208) Excerpt. de Virt. et Vit. p. 561, T. IX, p. 281 Bip. *τὰς πέντε βίβλους τούτου, Τιμαίου, καθ' ἃς περιείληφε τὰς Ἀγαθοκλέους πράξεις, οὐκ ἄν τις δικαίως ἀποδέξαιτο.*

209) V. Excerpt. lib. XXI p. 278 T. IX Bip. et Exc. de Virt. l. c. Confer Calliam in Scholl. Apoll. Rh. III, 41 cum Diod. V, 7.

210) Eius de Agathocle libri saepe laudantur; v. de his omnibus Dissertatt. Sic. I, p. 142.

211) V. Exc. de Virt. l. c. et Heyn. de fontib. et auct. Diod. p. LXXXIX T. I Bip.

212) Parall. Gr. et Rom. p. 315 D. Vol. II, p. 291 Wyttenb.

213) Petav. *Αἰγέτῃ*, cod. Harl. sine urbis nomine *ἐν πόλει τινί.*

214) Harl. *Ἰταλίας.*

τις ὠμὸς τύραννος, *Αἰμύλιος*[215] *Κενσωρῖνος*[216] · οὗτος τοὺς καινότερα βασανιστήρια κατασκευάσαντας ἐδωροδόκει. Εἷς δέ τις Ἀρούντιος Πατέρκουλλος[217] δημιουργήσας ἵππον χαλκοῦν τῷ προειρημένῳ δῶρον ἔδωκεν, ἵνα βάλλῃ αὐτούς. Ὁ δὲ τότε πρῶτον νομίμως ἀναστραφεὶς, τὸν χαρισάμενον πρότερον ἔβαλεν· ὡς ἂν ἣν ἐπενόησε βάσανον ἄλλοις, αὐτὸς πάθῃ πρῶτος. Τοῦτον συλλαβὼν *[218] ἀπὸ τοῦ Ταρπίου ὄρους ἔῤῥιψε. Καὶ δοκοῦσιν οἱ ἀποτόμως βασιλεύσαντες ἀπ' ἐκείνου *Αἰμύλιοι* προσαγορεύεσθαι· ὡς Ἀριστείδης ἐν τετάρτῳ Ἰταλικῶν. Monstra narrari audis, quorum interpres lucem, ut opinor, nondum adspexit. Rei sponsorem narratae facit is, qui haec Parallela conglutinavit, Aristidem Milesium: cui depingendo historico quia alius a me locus[219] servatus est, hic quidem satis habebo rerum futilitatem proditarum ostendisse. Propositi ab Aristide exempli pars Siciliam spectat, pars Romam, ipsumque auctorem in incerto haesisse putem, utrum *Σικελικοῖς*[220] an *Ἰταλικοῖς* insereret. De Aemilio Censorino, itidem de Aruntio Paterculo artifice nihil quidquam inaudii. Ad extremum scribit Aristides: δοκοῦσιν οἱ ἀποτόμως βασιλεύσαντες ἀπ' ἐκείνου *Αἰμύλιοι* προσαγορεύεσθαι: quibus verbis si Romani Aemiliorum nominis nota-

---

215) Petav. *Αἰμίλιος*.

216) Harl. *Σωρῖνος*.

217) Ed. Hutten. εἷς δέ τις Ἀρούντιος, Πατέρκουλλος, δημιουργ. cet.

218) Deest aliquid, nominativus alicuius nominis proprii, ut Wyttenbachio videtur.

219) V. Excursus sectionem VI.

220) V. Excursus sectionem laudatam.

tionem fuit inclusurus, multum ille ab aliis dissentit; adverte hos locos; ὅτι δ. πρῶτος αὐτῶν, τῶν Αἰμυλίων, καὶ τῷ γένει τὴν ἐπωνυμίαν ἀπολιπών, Μάμερκος ἦν Πυθαγόρου παῖς τοῦ σοφοῦ, δι' αἰμυλίαν λόγου καὶ χάριν Αἰμύλιος προσαγορευθεὶς, εἰρήκασιν ἔνιοι τῶν Πυθαγόρᾳ τὴν Νουμᾶ παίδευσιν ἀναθέντων[221]: quae confirmat etiam Grammaticus[222]: „Aemiliam gentem appellatam dicunt a Mamerco, Pythagorae philosophi filio: cui propter unicam humanitatem cognomen fuerit Aemilos." Haec eadem sententia ab aliis sic est variata: τεσσάρων υἱῶν βασιλεῖ Νουμᾷ γενομένων, ἕνα Μάμερκον ἐπὶ τῷ Πυθαγόρου παιδὶ προσηγόρευσεν. Ἀπ' ἐκείνου δὲ καὶ τὸν Αἰμιλίων οἶκον ὀνομασθῆναί φασιν... οὕτως ὑποκοριζομένου τοῦ βασιλέως τὴν ἐν τοῖς λόγοις τοῦ ἀνδρὸς αἱμυλίαν καὶ χάριν.[223] Contra ea fuerunt etiam, qui hanc gentem ita nominatam vellent, „quod descendat ab Ascanio, qui duos habuit filios Julum et Aemilon."[224] Superest sententia Siliana[225]: Sed genus, Aemilii Paulli, admotum superis summumque per altos Attingebat avos coelum. Numerare parentem Assaracum retro praestabat Amulius auctor... Gentem vides Aemiliam ad Amulium, Albanorum regem, a Silio referri; iam is Amulius quia „pulso fratre regnat, sceleri scelus addit"[226], inde novam suam Aemilii nominis

221) Plut. Paul. Aemil. c. 2.

222) Festus de verb. signif. in „Aemiliam gentem."

223) Plut. Numae c. 8.

224) V. Festum l. c.

225) Punicor. VIII, 295 s.

226) Liv. I, 3.

etymologiam, qua ἀποτόμως βασιλεύοντας significet, Aristides arcessivisse videatur.[227]

I.

SERIES LOCORUM PARTIM SEQUENTIA EX ANTE DICTIS BREVITER COMPLECTENTIUM, PARTIM ALIUD ATQUE ALIUD HAUD EX ABUNDANTI SUPPLENTIUM.

1.

Phalaris, priscus ille tyrannus Agrigenti, revera habuit taurum aeneum, quo est ad supplicium sumendum usus: de nihilo enim orta non sit talis fama (κοινὴ φήμη[228]), cuius inter singulas partes aliqua velut compages est, quae momenta singula observat; quae ut vaga sit, tantum abest, ut ad certum quiddam pleraque revocet: accedit nobilitas testium et gravitas, velut Heraclidae Pontici, Timaei, Polybii, Ciceronis, aliorum[229]: qui viri minime ἄκριτα et iudicata promiscua habuerunt. Intercessit quidem Gilliesius[230], huius persuasionis ne particeps Cicero redderetur, ut a quo scriptum sit: „quem taurum.. Phalaris habuisse dicitur"[231],

227) Cf. Wyttenbach. ad Plut. Mor. l. c. Etiam Orosius I, 20 habet, quem cum Phalaride componat, scribens: „fuerat etiam paullo superiori tempore apud Latinos rex Aremulus, qui per annos octodecim etc.

228) Polyb. XII, 25.

229) Diodori etc.; poetas autem, qui supra excitati sunt, hic intelligi nolo.

230) Gesch. v. Alt-Griechenl. Th. I, p. 115 interpr. Teut.

231) V. supra litt. A.

inculcat idem Fabricius Harlessianus[232], premit Böttigerus quoque existimans dictum more Academicorum a rebus incertis assensionem cohibentium[233]; at primum nosti qua valeant potestate nonnunquam *φασί, λέγεται*, dicitur[234]; deinde Cicero unus pro centum milibus erit nemini; denique unum alterumque videtur, dicitur cet. idem ille orator, ut orationem quadraret, infersit.

2.

Quam ob caussam non leo, non equus, non alia bestia, sed sit taurus ex aere ad istam necessitatem effectus, veterum oxposuit nemo; communis igitur existimatio est. Supra[235] non sine laude memoravi Böttigeri coniecturam monentis „der Uebergang vom stierköpfigen Moloch zu einem vollkommenen Stierbilde ist nur eine Steigerung"; equidem aut totam eam quaestionem esse praetermittendam censeo aut simpliciter dicendum, ut ab aliis statuariis alia artis specimina, velut a Myrone buculam, canes, equos[236], sic a Perillo taurum, quo Phalaridi commendaretur, fuisse summo artificio perfectum, sed callide sic ut novimus comparatum. Genera quaedam artificiosius divinandi a me sciente occultantur.

232) Bibl. Gr. I, 665.

233) Ideen zur Kunstmyth. p. 381.

234) V. Bentleii Opusc. philol. p. 217 s.

235) V. litt. D.

236) V. Heinrich Meyer's Gesch. der bild K. b. d. Griech. I, p. 74.

3.

Fuisse in taurum a Phalaride coniectos eos, qui aliquid maleficii admisissent, e superioribus notum est. Munckerus ait[237]: „in quo aeneo tauro hospites cremabat Phalaris": etiam Tzetza scribit[238]: Φάληρος.. τοὺς ἐπιξενιζομένους πρὸς αὐτὸν δεινῶς κολάζων καὶ ἀναιρῶν, et Anonymus ille: τοὺς παριόντας ξένους[239]: sed longe maior est Diodorus, cuius egregia verba nuper demum Angeli Maii opera innotuerunt[240], ..βοῦν χαλκοῦν πρὸς τιμωρίαν τῶν ὁμοφύλων. Similiter Dorotheus.

4.

Si quis sumserit, quae de crematis in tauro maleficis tradantur, ea de victimis humanis a Phalaride praebitis intelligi debere; is etiam ostendat oportebit, cur Phalaris suopte motus ingenio, non more recepto aut religionis severitate adactus eam exercuisse crudelitatem narretur.

5.

Reitemeierus[241]: „Agrigenti, inquit, liberi civesque tormentis sunt a Phalaride tyranno infestati, qui Hippiam tyrannum Atheniensem aetate praecedens, antiquissimum, quod sciam, in Graecia idque in insidiatores sibi quae-

237) Ad Antonin. Liberal. p 156 Teuch.

238) In Lycophr. v. 717.

239) V. Excursus sectionem I.

240) Vett. scriptt. nova coll. T. II, p. 20.

241) De quaestione per tormenta p. 34.

stionis exemplum edidit." In historia de Charitone Melanippoque[242] et στρέβλωσις et βάσανοι occurrunt, quae historiola et ipsa e Pontici Heraclidae Ἐρωτικοῖς fluxit.[243]

6.

Inhumanitas poenae per Phalaridem ope tauri expetitae quia a clementia et mansuetndine nostra recedit longius, ideo, qui taurum fuisse negent, reperientur. Ad quod respondeo breviter et verbis de Cotye, Thracum rege, scriptis: fuit Phalaris πικρὸς τῶν ὑπηκόων κολαστής[244]: quam πικρίαν denique, ut fit, Agrigentini viriliter vindicarunt.[245] Hic me locus de Toletana „Madre Dolorosa" commonet.

7.

Scribunt Parömiographi[246], fuisse Graecis hominibus in proverbio Φαλάριδος Ἀρχή sive Ἀρχαί: ἐπὶ τῶν ὠμῶς τῇ ἐξουσίᾳ χρωμένων. Similiter Cicero, „non Aristarchum te, inquit[247], sed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum, sed poetam armis perse-

242) Apud Aelian. V. H. II, 4.

243) V. Athenae. XIII, 602 B.

244) V. Plutarch. περὶ φιλίας p. 831 Wyttenb.

245) V. Excursus sectionem III. Gilliesius l. c. scribit: „die Grausamkeiten des Phalaris würde kein Volk, am wenigsten die Sicilianer in diesem Zeitpunkte ertragen haben." Ego vero respondeo: „sie haben's auch nicht ertragen."

246) Diogenian. VIII, 65. Provv. App. Vatican. IV, 35.

247) In Pisonem c. XXX § 73.

quare." Hinc non dubito, quin, si quis regie seu potius tyrannice ageret, eam Graeci sententiam, poetae saltem, colligarint interdum verbo *Φαλαρίζειν*. Quod ut credam, facit inprimis triste nomen „*Φαλαρισμός*": quo nomine inter veteres unius, ut opinor, Ciceronis[248] auctoritate munito utitur etiam Huldericus Huttenus. Videlicet is in dialogo quodam apud inferos facit Huldericum, Ducem Würtebergensem, Phalaridi tetre a se facta narrantem et, in posterum quid rei agat, cum eodem consultantem[249]: qui libellus ab eo inscriptus est „Phalarismus"[250] nec ita multo post edita insuper „Apologia pro Phalarismo" sustentatus.[251]

8.

Suum sibi nomen Phalaris perquam proprium habet; ego certe cognominem illi hauddum investigavi. Interfectum a Turno quendam Troianum hominem Virgiliani codices Phalerim seu Falerim edunt[252], editiones vulgares Falarim.[253] Castellus „sigillum figlinum" repererat his litteris insignitum: *Φαλαρυς*.[254] Praeterea tyrannus noster semel vocatur *Φάληρος* a Tzetza[255] oscitanter, ut

248) Ad Atticum VII, 12.

249) V. Meiner's Lebensbeschreibungen berühmter Männer etc. Th. III, p. 60.

250) V. Meiner's l. c. p. 51 et 411.

251) V. Wagenseil's Ulrich v. Hutten nach seinem Leben, seinem Character u. s. Schriften p. 182 et 186.

252) Aen. IX, 762.

253) V. varietatem lectionis Heynianam.

254) Inscriptt. Sicil. Cl. XVI, Nro. 19.

255) Ad Lycophr. v. 717.

puto, scribente, nam Callimachus, quem ille testem excitat, Φάλαριν dicit.[256] Denique ab eodem Tzetza scriptor Φάλαρις commemoratur[257], verum is pridem ab Hemsterhusio[258] transfixus est et sepultus.

EXCURSUS

IN SEX PARTES DISSECTUS.

Postquam legentium oculis subieci, quidquid de illa machina deque eius effectore proditur; nolo inexplorata ea relinqui, quorum in media commentatione brevius, ut ne quis a re proposita avocaretur, meminisse me oportebat: verbo dicam, nunc disputantur nonnulla, quae praecedentium explanationi sunt aeque idonea, ac totius consilio libri concinunt; ex quo fit, ut ne veniam quidem esse arbitrer praefandam.

I.

De Dorothei Patria, Aetate, Scriptis.

Industria Ioannis Stobaei[1] et Michaelis Apostolii[2] conservata est eorum memoria, quae de Phalaridis tauro Δωρόθεος ἐν τῇ πρώτῃ Σικελικῶν narraverat: Φάλαρις Ἀκραγαντίνων τύραννος,

---

256) Fragm. 194.

257) Ad Lycophr. v. 373.

258) In Lennepii Animadvv. ad Epp. Phal. p. 50 Gron.

1) Florileg. p. 511 Wech., p. 314, 49 ed. nov. Lips.

2) Provv. XX, 13.

ἀπότομος καὶ ἀπαθὴς ὑπάρχων, ξέναις καὶ παρευρημέναις βασάνοις ἔτρυχε καὶ ἐστρέβλου τοὺς ὁμοφύλους. Πέριλλος[3] *δὲ τῇ τέχνῃ χαλκουργὸς*[4] *κατασκευάσας δάμαλιν, ἔδωκε τῷ βασιλεῖ δῶρον, ἵνα τοὺς ξένους εἰς αὐτὴν βάλλων καταχαίῃ ζῶντας· μυκηθμὸν δ' ἡ*[5] *δάμαλις ἀνεδίδου τῷ φυσικῷ παρόμοιον. Φάλαρις δὲ τότε μόνον γενόμενος δίκαιος, αὐτὸν τὸν τεχνίτην πρῶτον ἐνέβαλεν.*

Is, de quo hic quaerimus, Dorotheus, Siculorum scriptor, unde fuerit domo, ignoratur; neque enim audio Kölerum quum scribit[6]: „Dorotheus et ipse Siculus"; id patriae vereor ne sit datum Dorotheo, quod *Σικελικὰ* composuerat; at excitatur etiam *Ἀριστείδης ὁ Μιλήσιος*[7] *ἐν α'* et *Ἑρμείας ὁ Μηθυμναῖος ἐν γ' Σικελικῶν*[8], ut de Critone Pieriota[9] taceam. Accedit quod Mongitor[10] ne nominat quidem Dorotheum, non sane praetermissurus, si quid explorati super illius Sicula patria habuisset.

Historiam suam *Σικελικῶν* titulo insignitam Dorotheus in libros descripserat, per quos argumentum ex temporum ordine diditum fuisse inde colligo, quod Phalaridis in primo libro meminerat. Ceterum horum commentariorum, qui *Σικελικὰ* inscribi consuerant, argumentum videri varium et multiplex fuisse, alio iam loco conieci.[11] Ut autem

3) Sic Stob. Wech. et Lips., Trinc. et Apost. *Πέρίλαος*, v. Excursus sectionem II.

4) Vulgo *χαλκοῦργος*.

5) *δὲ ἡ* Stob. Wech

6) Ad Heraclid. Pont. p. 88.

7) Apud Pseudo-Plut. in Parall. p. 305 D.

8) Athenae. X, 438 B.

9) V. Dissertatt. Sic. I, p. 138.

10) Bibl. Sicul. I, 149 — 170.

11) Dissertatt. Sic. I, p. 67. 138.

Φιλιππικοὶ λόγοι λέγονται οἱ περὶ Φιλίππου ἔχοντες καὶ Τυρσηνικαὶ ἱστορίαι αἱ περὶ Τυρσηνῶν περιέχουσαι[12], ita *Σικελικὰ* sunt *βιβλία περὶ Σικελίας καὶ Σικελῶν περιέχοντα*: Latine aut Sicula aut rerum Sicularum deve rebus Siculis hos libros inscribes; Odofredo Müllero „e tertio Sicilicorum Timaei" excitanti nonnihil[13] consuetudo Latina reclamitat.

Iam vero cum Dorothei fragmento haec[14] velim contendas: *Φάλαρις, Ἀκραγαντίνων τύραννος ἀπότομος, τοὺς παριόντας ξένους ἐστρέβλου καὶ ἐκόλαζε. Πέριλλος δὲ τῇ τέχνῃ χαλκουργὸς, δάμαλιν κατασκευάσας χαλκῆν, ἔδωκε τῷ βασιλεῖ, ὡς ἂν τοὺς ξένους κατακαίῃ ζῶντας ἐν αὐτῇ· ὁ δὲ μόνον τότε γενόμενος δίκαιος αὐτὸν ἐνέβαλεν. ἐδόκει δὲ μυκηθμὸν ἀναδιδόναι ἡ δάμαλις· ὡς ἐν δευτέρῳ Αἰτίων.* Utriusque congruentiam fragmenti probe sentis nec minus e priore posterius videri opera tumultuaria expressum; quaesiveris autem, cur, celato Dorothei nomine, *ἐν β' Αἰτίων* haec haberi dicantur: Fabricio[15] Plutarchi *Αἴτια Βαρβαρικὰ* hic laudari opinanti assentitur Wernsdorfius[16]; Lennepius „in Plutarchi loco vitium inesse" suspicatus[17], Dorotheum restitui in integrum cupit; Ruhnkenius[18] Callimachi *Αἴτια* significari putat et,

---

12) V. Scholia in Dionysii Thrac. Gramm. p. 853 Bekk.

13) Aegineticor. p. 128.

14) Parall. Pseudo-Plut. p. 315 C.

15) V. Wyttenbach Animadvv. in Plutarch. Vol. II P. I p. 78 Oxon.

16) In Comment. I ad Plut. Quaest. Gr. p. 2.

17) Ad Phalarid. Epp. p. 24 Gron.

18) Ad Fragm. Callim. p. 487 Ern.

hoc sequens indicium, vindicat quoque secundo *Αἰτίων* libro Callimachi de tauro versiculos, qui supra[19] leguntur: cui iudicio Burmannus[20] cum Wyttenbachio[21] accedunt. Ego, ut paullo ante posui, hoc Anonymi fragmentum e Dorotheo factum arbitror: is autem, qui haec Parallela concinnavit, quum Callimachus in re tradita Dorotheo consentiret, transcripsit quidem in farraginem suam locum Dorothei pedestri oratione conceptum verum testem citavit non ignobiliorem Dorotheum, sed doctum poetam Callimachum, captansne elegantioris doctrinae laudem an memoriola vacillans non interpretor.

Relinquitur, ut de Dorothei aetate dicam: diserto illa testimonio nusquam indicatur nec in fragmento quidquam vestigii iuest, verum an multis ante natum Christum seculis vixerit, licet diffidere. Quid enim? Polybius[22] aut certe Diodorus non fuisset Dorothei adversus Timaeum auctoritate usurus? Forsan opponas, non satis gravem eam Diodoro videri potuisse: at in hac saltem caussa vetustissimi cuiusque gravissima erat auctoritas. Dorotheum equidem Diodoro paene aequalem habeo ac tum potuit a Diodoro aut ignoratus praetermitti aut quod novi nihil dixisset: quae ratio si non probatur, Diodoro posterior censendus est. Considera porro haec: a Plutarcho, qui dicitur, excitatur[23] Δωρόθεος

19) V. de tauro litt. A.

20) Ad Propert. p. 389.

21) Ad Plut. l. c. et p. 89.

22) De Polybio res omnino crepera, integer enim Polybii de tauro locus superstes non est.

23) Parall. Gr. et Rom. p. 311 E.

ἐν πρώτῳ Μεταμορφώσεων, quo in libro de Phoci Aeacidae morte narraverat[24]; praeterea fertur *Δωρόθεος ἐν τετάρτῳ Ἰταλικῶν*[25] de Mario scripsisse filiam immolante, cuius itidem facinoris eodem auctore memor Clemens est: *ὁ δὲ τοῖς ἀποτροπαίοις ὁ Μάριος ἔθυσε θυγατέρα, ὡς Δωρόθεος ἐν τετάρτῃ Ἰταλικῶν ἱστορεῖ*[26]: haec reputans omnia adduci me passus sum ut Dorotheum *Ἰταλικῶν* auctorem scriptoremque *Σικελικῶν* eundem esse arbitrarer; atque ita de illius aetate haud prorsus haereremus. Inter scriptores aevi posterioris complures, qui *Σικελικὰ* condiderant, iidem *Ἰταλικὰ* etiam inveniuntur edidisse, Timaei forsan aemulatione.

Haec est mea de Dorotheo Siculorum auctore sententia; inter ceteros Dorotheos, de quibus Vossius[27] et Ionsius[28] et Santacrucius[29] scribunt, uni soli aliquid cum nostro communionis videtur intercedere, ei videlicet Dorotheo, qui *ἐν τῷ πρώτῳ Πανδέκτῃ* de Mopso vate narrarat[30], verum est haec mera suspicio.

Quae nuper percrebuit fama de Dorotheo Mitylenaeo, quem recentior Graecia tulit historicum Meletio, ut Byronus[31] saltem ait, teste *μετὰ τὸν Θουκυδίδην καὶ Ξενοφῶντα ἄριστον Ἑλλήνων*,

24) V. Heyn. ad Apollod. III, 12 7 et Müller. Aegineticor. p. 22.

25) Apud Pseudo-Plut. l. c. 310 D.

26) Protrept. p. 37 Pott. p. 27 C. Sylb.

27) De Histor. Gr. III, p. 281.

28) De scriptt. phil. III, 6, 18. 7, 4.

29) Examen critique p. 63. 166. cf. Fabricii B. G. III, p. 41 H.

30) Ap. Clem. Alex. Strom. I, p. 334 A. Sylb.

31) V. Childe Harold p. 171 ed. Angl.

utinam esset inventa vera, sed tumidam poetae quamvis elegantis vocem velut nebulam Carolus Ikenius[32] disiecit.

II.

Nomen Perilli scinditur in duas formas Περίλαος et Περίλλος seu Πέριλλος, fere ut rex ille appellatur hic Χαρίλαος, illic Χαρίλλος seu Χάριλλος.

Augusti Boeckhii „Corpus Inscriptionum" vix coeptum erat in vulgus edi, quum Godofredus Hermannus, morae impatiens, statim de primo fasciculo iudicium censuramque fecit. Id ab Hermanno suscipi, viro Graecis tam docto litteris, gratum esse acceptumque debebat nobis a partium studio alienis: verum in eius iudicio inerat censoria quaedam acerbitas, qua tum Boeckhii animus tum aliorum exasperaretur oportebat, ita ut in magnum certamen res excesserit. Et in hoc quidem ego me invitus interpono; quia prius tamen, quam altercationis illius notitiam haberem, haec scripseram[1]: „Χαρίλαος (Χαρίλας) et Χάριλλος idem nomen. Sic tauri Phalaridei Daedalum dicit Περίλαον Scholiastes Pindari; Πέριλλον Dorotheus in Siculis;" ideo volens a me scripta tueri, censurae Hermannianae eum, qui est de Charilai, Spartanorum regis, nomine, locum diligenter retractabo.[2]

---

32) V. Leucotheae Th. I, p. 214—235.

1) De Cerere Chthonia Diss. I p. 7 Not. 32.

2) Scribitur nobis, ipsum Boeckhium de nomioum propriorum forma duplici dixisse in Inscriptionum tertio fasciculo: quem ego naocisci hauddum potui.

Scripsit Boeckhius[3]: „*Κειρίλλος* autem idem atque *Κειρίλαος*, pro quo *Κειρίλεως* notissima forma. Sic *Χαρίλαος* et *Χαρίλλος* Spartanorum rex idem." Ad quae verba haec est animadversio Hermanni[4]: *Κειριλλος* aber sei so viel als *Κηριλαος*.. wie der Spartanische König *Χαρίλαος* und *Χαρίλλος* heiſse. So muſs ein Schreibfehler eine Unmöglichkeit möglich machen": et iterum[5]: „die einen nennen ihn *Χαριλαος*, die andern *Χάριλλος*. Eins von beiden ist ein Schreibfehler; welches, kann nur durch ein ausdrückliches Zeugniſs oder eine Dichterstelle ausgemacht werden. Wer aber *Χαρίλαος* heiſst, kann nicht auch *Χάριλλος* heiſsen, weil das ganz verschiedene und aus verschiedener Wurzel entsprungene Namen sind." Haec ille.

Nominis, quod quaeritur, formam maxime diductam esse reor *Χαιρησίλαος, Χαιρησίλεως*[6], in quo inesse futurum verbi *χαίρειν* et *λαὸς* seu *λεώς*, lucide apparet. Iam igitur veniat huius nominis forma syllaba una brevior *Χαρίλαος, Χαρίλεως;* nam *Χαιρησίλαον* inter et *Χαρίλαον* exiguum et paene nullum discrimen reperiri, certum est. Nimirum Charilai nomen olim habuerunt complures: quidam *Χαριλαος Λοκρος* apud Reinesium[7] occurrit; *Ἐρασμονίδην Χαρίλαον*, hominem voracem, tetrametris Archilochus[8] lacerat; Maeandrii tyranni frater *Χα-*

3) Corp. Inscriptt. I, 1. p. 49.

4) Ueber Herrn Prof. Böckh's Behandlung der griech. Inschriften p. 60.

5) L. c. p 166 Not. 214.

6) Poemandri pater est ap. Pausan. Boeot. c. XX, 2.

7) Inscriptt. Cl V, 36

8) Fragm. Lieb. p. 132.

ϕίλεως est vel pueris notus[9]; superest Χαρίλαος, Spartanorum rex, cui cur id potissimum nominis obtigerit, opportune monet Plutarchus[10]: ὁ δὲ, Λυκοῦργος, Χαρίλαον ὠνόμασε διὰ τὸ τοὺς πάντας εἶναι περιχαρεῖς.. Ut igitur in Χαριγένης, Χαρίδημος latet δῆμος et χαρά, sic in hoc nomine λαὸς seu λεὼς et χαρά: unde a Χαιρησιλάῳ prope abesse Χαρίλαον intelligis: idem nomen est, homines diversi. Verum est hoc: et tamen inveniatur, qui facilius e χάρις et λαὸς id nomen confieri credat: hoc si quis serio et obstinate contenderet, suaderem (fit enim sine caussae nostrae detrimento) daretur, quum χαρὰ et χάρις eiusdem nomina stirpis sint et propinquae significationis. Erotianus[11]: „φησὶ δέ, Ἀπολλόδωρος[12], κληθῆναι ἀπὸ μὲν χαρᾶς Χάριτας. καὶ γὰρ πολλάκις οἱ ποιηταὶ τὴν χάριν χαρὰν καλοῦσιν. Iam hinc patet, quo iure Hermannus Χαρίλλος et Χαρίλαος neget ulla inter se cognatione contineri; etenim in Χαρίλλος, quomodocunque id nomen oriri facis, itidem χαρὰ vel χάρις vel χαίρειν delitescit.

De nominibus, quorum terminatio $\overline{\alpha o\varsigma}$, media littera extrita, in $\overline{\alpha\varsigma}$ contrahitur, iam multa alii praeceperunt: quare de trisyllabo Χαρίλας paucis mihi defungi licet. Hoc animadversione minus dignum esse habitum video, quod consonans littera, quae natam ex contractione syllabam praecedit, interdum duplicata visitur, ut in Χαρίλλας ex inscriptione a Brondstedio reperta[13]; hinc Thessali

9) Ex Herod. III, 145 s.

10) In Lycurgi c. 3.

11) Lex. Hippocr. v. Χάριτες.

12) Fragm. Heyn. p. 389.

13) Reisen d. Griechenl. Ites Buch p. 29.

illi duo, quorum alter audit *Τορύλλας*[14], *Τορίλαος*[15] alter, cognomines habentor: ideo non male apud Virgilium[16] editur: „Concedat Iollas-Vale, vale, inquit, Iolla:" apud Photium[17] legis: *Ἰόλλας τε καὶ Ἀρχίας*, alibi: „Philippus et Iollas."[18]

His absolutis, devenitur tandem ad totius quaestionis caput: nomen *Χαρίλλος* ex iisdem, quibus *Χαρίλαος*, radicibus natum, **brevius** modo factum esse. Haud equidem abnuo, hasce litteras *ΛΛ* et *ΛΑ* confundi a scriptitantibus nullo negotio potuisse, vereor tamen ne scribarum incuria subinde factum putetur, quod nosmet ipsi adhuc parum assequimur: e Macarei filiis fuit uni, ut libri mss. edunt, nomen *Κύδρολλος*[19], sed aurium Graecarum consuetudini, ni fallor, convenit duntaxat *Κυδρόλαος*. Librum singularem dicitur Speusippus misisse *Πρὸς Γύλαον*[20], ubi codicis unius lectio est *Πρὸς Γύλον*, alterius *Πρὸς Γύλλον*.[21] Optio hic perquam difficilis, nam et *Γύλος* nomen esse potuit, ut e *Γύλων*, cuius est Aeschines[22] memor, colligitur. Is qui dialogos Platonis disponere diligenti cura studuit,

14) Ap. Diodor. XI, 77.

15) Ap. Thuc. IV, 78.

16) Eclog. II, 51. III, 76 79.

17) Cod. 92 p. 125 H.

18) Iustin. XII, 14.

19) Diod. V, 81.

20) Diog. La. IV, 4

21) V. Menag in D. La. p. 560.

22) In Ctesiphont. § 171; cf. Suid. in h. v. et Schol. Plat. Ruhn. p. 7.

apud Albinum[23] nominatur Θράσυλλος, apud Laertium vero Θράσυλος, Θράσυλλος et Θρασύλαος.[24] Ὁ Αἰξωνεύς, is qui amabiliter insaniebat, Θρασύλαος apud Athenaeum[25] est, apud Aelianum[26] Θράσυλλος. Eundem hominem Πρεπέλαον et Πρέπελλον dicit Diodorus.[27] Βαθύλαος Ποσειδωνιάτης a Iamblicho[28] inter nobiliores Pythagoreos numeratur, qui Laertio[29] est Βάθυλλος. Similiter regii forma nominis variatur, ita tamen ut aliquanto crebrius Χάριλλος quam Χαρίλαος reperias; eademque vicissitudo est in Περίλαος, nisi quod Περίλαοι sunt quam Πέριλλοι frequentiores. Quid igitur? quod in eadem syllaba toties scribae mendosi fuerunt, mirum non est? Per mihi mirum, ideoque cum Perizonio[30] potius de „contractione vel formae mutatione" quam sibi posteriores certe Graeci videantur permisisse, cogitari malim, uti nominum in νους cadentium constat usitatam, non metri necessitate coactam fuisse triplicem formam, v. c. Ἀρχίνοος, Ἀρχίνους, Ἄρχῖνος: Πασίνους, Πασῖνος: Καλλῖνος cet.[31]; obiiciat tamen aliquis hac analogia Χαρῖλος oportuisse; non id quidem nego, putem vero nostrum neminem hoc sat scire eodemque iure

23) Isagoge in Plat. Diall § 6.

24) In Platone III, 56.

25) Ap. Athen. XII, p. 554 E.

26) V. H. IV, 25.

27) Diod. Sic. XIX, 64 et 68.

28) De Vita Pythag. c. 36 § 217 ed. Kiessl.

29) In Alcmaeone VIII, 83.

30) Ad Aeliani V. H. I, 27. IV, 25.

31) V. Ruhnk. Hist. crit. Or. Gr. p. XLII s. Franckii Callin. p. 25.

quaeri, cur *Ἀρχίννος*, *Πασίννος*, *Καλλίννος* Graeci noluerint. De accentu, leges quidem scribi iubent *Χαρίλλος*, sed potuit sensim *Χαρίλλος* abire in *Χάριλλος*, ut *νηλίπους* (*νηλίπος*, ut *ἀρτίπος*) in *νήλιπος*.[32]

Χαιρησίλαος, *Χαιρησίλεως*: *Χαρίλαος*, *Χαρίλεως*: *Χαρίλας*, *Χαρίλλας*: *Χαρίλλος*, *Χάριλλος*.

Formae vicissitudines fere easdem *Περίλαος* subiit: invenitur *Περίλεως*[33], fuit Perizonio[34] *Περίλας* obvius, et, quam *Περίλαος* sedem habuit, eam aliquoties *Πέριλλος* et *Περίλλος* occuparunt: de quo sic iudicat Fridericus Thierschius[35]: „der Name ist *Περίλαος* zsgez. (?) *Περίλεως*, woraus *Πέριλλος* und Perillus verdorben worden." Latinis autem scriptoribus ubique tauri Phalaridei faber appellatur P e r i l l u s; quod non fecerunt illi metricae necessitatis gratia, nec Graecam contractionem imitaturi, sed quod acceptum a Graecis nomen suae orationi et consuetudini accommodarunt. Hinc non P e r i l l a[36] modo dicere, sed ut varus in V a r i u s, valgus in V a l g i u s, sic proprium Perillus producere in P e r i l l i u s[37] Romanis sane licuit; Graecis non item.

Denique inter manifestas veri nominis *Περίλαος* depravationes una habetur paullo gravior, quam

32) Valckenar. Ep. ad Röver. p. 358.

33) Ap. Apollodor. III, 10. 6.

34) Ad Aelianum l. c.

35) Epochen der bildend. Kunst II, p. 61 nro. 129.

36) Perilla ap. Ovid. Trist. III, 7. 1. Apuleii Apolog. p. 257 T. I ed. Harl. „accusent Ticidam, quod quae Metella erat, P e r i l l a m scripserit."

37) P e r i l l i u s Cicuta notus est ex Horat. Sat. II, 3.

ut velis eam aut possis negligere. Megarensium proditor *Περίλαος*, cuius saepenumero apud Demosthenem[38] est et Lexicographos[39] memoria, in codice Parisiensi transfiguratur in *Περίαλος*[40]: quam aberrationem nunquam adspexi, quin veniret mihi Athenaei in mentem bis Epicharmum *ἐν Περιάλλῳ* afferentis[41]; Casaubonus[42] quidem *Περίαλλον* eum interpretatur esse, qui ceteris praestet aut praestare videatur sibi, eique Hermannus Harleſs[43] et, quod magis mirere, Carolus Grysar[44] facile assentiunt, verum hoc Epicharmus nervosius, credo, et significantius dixisset: etenim non inepte diceres, videri fuisse, non sine spectantium oblectamento, repraesentatum a Comico quendam ostentatorem (Prahler, Bramarbas); quem si vocavit ille *Περίαλλον*, nomine eum esse usum fatebere perquam elumbi scenicaeque cavillationis experte.[45] *Περίαλος* igitur aut nomen est proprium, cui simile legitur apud Iamblichum[46] *Περιάλῳ τῷ Θουρίῳ*, aut

38) De Corona p. 242. 324 R., de falsa legat. p. 436.

39) Suid. Harpocr. Phot. h. v.

40) Vide varietatem scripturae in I. Bekkeri Oratt. T. IV, p. 291.

41) Athen. IV, p. 139 C. 183 C.

42) Ad Athenaei ll. cc.

43) De Epicharmo p. 64.

44) De Doriensium Comoed. V. I, p. 295.

45) Raro repereris hoc vocabulum; *περίαλλα* pro *περιάλλως*, *ὑπερβολικῶς* legitur ap. Sophocl. Oed. R. 1218; *περιάλλων γλωττισμῶν* in Epigr. Philodemi Anth. Pal. I, p. 120; *περίαλλα πεπονθὼς* ap. Max. philos. *περὶ καταρχῶν* 387; *στυγέει περίαλλα* ib. 491.

46) De Vita Pythag. c. 17 § 74 Kiessl. in cod. Cizensi vitiose *περὶ ἄλλῳ*.

corrigi saltem apud Athenaeum oportet ἐν Περιλάῳ. Quae si vera coniectura est, quaeritur etiam, de quonam maxime Perilao fabulam Epicharmus inscripserit; de nostrone, tauri architecto, an de cognomini alio. Hoc vero diiudicari nescio an unquam, a me certe non potest. Sophoclem ἐν Περιλάῳ[47] res mythicas tractasse cum Heynio suspicor.[48]

III.

Phalaris cum matre et amicis quo leto perierint, exploratur.

In epistolis ementitis si qui locus inest, ubi fraudem suam auctor haud nimis scite tegit, is in quinta reperiatur: hic[1] videlicet sophistes Phalarim inducit praesagientem fore, ut ipse quondam tauro includatur: *εὕροιτε ἂν, ὦ Ἀθηναῖοι, οὔτε δρῶντας ἑκόντας ἡμᾶς, οὔτε, εἰ πάσχομεν, ταὐτὸ τῷ τεχνίτῃ, δόξαν τῷ δαίμονι, δικαίως ἀπολαύοντας.* Haec praesagitio vera evasit, si Bentleium[2] sequeris: equidem haud sequar.

Nimirum inter sinistra multa Ovidius viro nescio cui haec etiam imprecatur:

Aere Perilleo veros imitere iuvencos,
 Ad formam tauri conveniente sono;
Utve ferox Phalaris, lingua prius ense resecta,
 More bovis, Paphio clausus in aere gemas.[3]

47) V. Hesych. in *Καρπομανής* et al.

48) Observatt. ad Apollodor. p. 284 s.

1) Pag. 30 ed. Groning.

2) Opusc. philol. p. 253 s. Lips.

3) In Ibi 437 — 40.

Hanc poetae vocem Beutleius non minoris aestimat, quam si uni ex optimis ac vetustissimis historicis excidisset; vereor tamen ne id non recte fecerit: nam scholio ad eum locum vetusto: „Phalaris ipsemet resecta lingua in taurum aeneum coniectus est" [4], confirmatur quidem Ovidii mens, sed hanc ille Scholiasta sapientiam ex Ovidio demum hausisse videatur. Ipse Naso an veterum secreta historicorum sit multum rimatus, dubito; certe aevi poetae Augustei scriptoribus Alexandrinis posthabuerunt non pauca. [5] Recte Burmanuus: „unde vero Ovidius, inquit [6], hoc genus mortis, quo Phalaris extinctus, petierit, ignoro." Maius apud me pondus habet Tullius; qui quidem cum Ovidio ex parte concinit, Phalaridis tamen in tauro letum commemorat nullum, scribens breviter: „in quem, Phalarim, universa Agrigentinorum multitudo impetum fecit." [7] Cicero autem videatur hoc e Pontico Heraclide duxisse, qui tradit [8]: *ὅνπερ, Φάλαριν, ὁ δῆμος ἐτιμωρήσατο, ἐνέπρησε δὲ καὶ τὴν μητέρα καὶ τοὺς φίλους*: sentisne post *ἐτιμωρήσατο* quandam lacunam esse in textu, qua geuus vindictae a Phalaride expetitae excidit? [9] „Phalarim, inquit Heraclides, populus ultus est —; concremavit vero etiam matrem et amicos", h. e. multitudo non satis habuit unum Phalarim vindicasse, sed etiam in matrem et amicos est grassata; quos concremavit.

---

4) Vide p. 107 Tom. IV Ovidii Burmann. et Bentlei. l. c.

5) V. Huschkii Epist. crit p. 88. Heynii Excurs. 5 ad Aen. II.

6) Ad Ovidii Ib. v. 441.

7) De Offic. II, 7. 26.

8) De reb. publ. fr. XXXVI. p. 20 Koel.

9) Ita etiam ante me censuit Koeler. ad Heraclid. l. c.

Ceterum de perustis Phalaridis amicis videtur etiam Plutarchus[10] consentire: τοὺς Ἀπολλοδώρου καὶ Φαλάριδος καὶ Διονυσίου φίλους καὶ συνήθεις ἀπετυμπάνιζον, ἐστρέβλουν καὶ ἐνεπίμπρασαν: ubi ἐνεπίμπρασαν, ut Heraclideum ἐνέπρησε de concrematis in tauro interpretor." Haec iam concinnaveram, quum in manus venerunt Maii Excerpta Diodori: inibi legitur historiola qua Heraclidae et Ciceronis de exacto per populi vim Phalaride narratio confirmari videatur: Φάλαρις ἰδὼν περιστερῶν πλῆθος ὑφ' ἑνὸς ἱέρακος διωκόμενον ἔφη· „ὁρᾶτε, ὦ ἄνδρες, τοσοῦτο πλῆθος ὑφ' ἑνὸς διωκόμενον διὰ δειλίαν; ἐπεί τοί γε εἰ τολμήσειαν ἐπιστρέψαι, ῥᾳδίως τοῦ διώκοντος ἂν περιγένοιντο." Καὶ ἐκ τούτου τοῦ λόγου ἀπεβάλετο τὴν δυναστείαν, ὡς γέγραπται ἐν τῷ Περὶ Διαδοχῆς Βασιλέων.[12]

IV.

Veteres ultionem a tyrannis severius exacturi nonnunquam modum excesserunt.

Agrigentini si vere taurum in mare praecipitem dederunt, hoc illi commisisse ea mente videantur, ut ne quid tetri memoriam supplicii refricaret; quod idem, ut opinor, post aliquanto Athenienses voluerunt, quum Casandri statuam conflarent, non probante Plutarcho[1]: εἰ μὴ δόξαιμι παίζειν ἐγώ, φαίην

---

10) Philosophandum esse cum princip. p. 778 D.

11) Tetigi tantum ea, de quibus mihi cum Bentleio non convenit.

12) Veterum scriptt. nova coll. T. II, p. 25.

1) De sera N. V. p. 559 D.

ἂν ἀνδριάντα Κασάνδρου καταχαλκευόμενον ὑπ' Ἀθηναίων πάσχειν ἀδικώτερα· καὶ τὸ Διονυσίου σῶμα.. ἐξοριζόμενον ὑπὸ Συρακουσίων ἢ τοὺς ἐκγόνους αὐτῶν δίκην τίνοντας· τῷ μὲν γὰρ ἀνδριάντι τῆς Κασάνδρου φύσεως οὐθέν ἐστιν cet. Quanquam suam tyrannos efficaciter ulciscendi libidinem sic evagari veteres non semel passi sunt, et praeoptantes quidem abiiciendi in mare poenam: Dionysii minoris θυγατέρων καύσαντες τὰ σώματα Λοκροὶ κατήλεσαν τὰ ὀστᾶ καὶ κατεπόντωσαν [2] sive τὴν τέφραν κατέσπειραν ἐκ πλοίου κατὰ τῆς θαλάττης [3]: idemque Dionysius vidit τὴν αὐτὴν ἀδελφὴν καὶ γυναῖκα.. βίᾳ ἀποθανοῦσαν μετὰ τῶν τέκνων καὶ καταποντισθεῖσαν εἰς τὸ πέλαγος. [4] Procles, Epidauriorum tyrannus, Timarchi Atheniensis τὸ σῶμα κατεπόντισεν ἐμβαλὼν εἰς φορμόν [5], ipsumque deinde Proclem Timarchi amici νεκρὸν ἐξέβαλον εἰς τὴν θάλατταν. [6] Narrante Theopompo [7], τοῦ Ὑπερβόλου τὸν νεκρὸν εἰς ἀσκὸν ἀγαγόντες εἰς τὸ πέλαγος κατεπόντισαν.

Sotadem poetam, quia in Ptolemaeum maledicta coniecerat, Πάτροκλος ὁ τοῦ Πτολεμαίου στρατηγὸς ἐν Καύνῳ λαβὼν καὶ εἰς μολυβῆν κεραμίδα ἐμβαλὼν καὶ ἀναγαγὼν εἰς τὸ πέλαγος κατεπόντωσε. [8] Denique Ἱκέτης ἐστὶν ὁ τὴν γυναῖκα τοῦ Δίωνος, Ἀρέ-

2) Strabo VI, p. 14 ed. ster. Ducta haec sunt e Clearchi *Βίοις* ap. Athen. XII, p. 541 D.

3) Plut. praec. reip. ger. p. 821 E. Aelian. V. H. VI, 12.

4) Plut. Timol. c. 13.

5) Plut. de Pyth. oracc. p. 403 D.

6) Plut. l. c.

7) In Scholl. ad Comici Vesp. 999.

8) Athen. XIV, p. 621 A.

την, καὶ τὴν ἀδελφὴν Ἀριστομάχην καὶ τὸν υἱὸν καταποντίσας ζῶντας.[9] Qui mihi videntur universi in mare missi esse, quod poenae id genus humilius haberetur et abiectius.

V.

Disceptatur, quanti deceat pendere Luciani libellos eos, qui inscribuntur Φάλαρις Πρῶτος et Φάλαρις Δεύτερος.

Inter eximia multa, quibus Bentleius adversum leves ratiunculas Boylei tetendit, minus mihi arriserunt ea, quae de Luciani Phalaride monentur[1]: non quo magnum virum illa secus scripsisse putem, verum quia metus mihi est, ne libellis istis pretium statuat nimio magnum. Quare dicam, sed breviter, quod sentio.

Luciani scriptis intersunt duae oratiunculae, quarum prior Delphis habetur ipsius quidem Phalaridis verbis, sed voce legatorum ab Agrigento; posteriorem dicit itidem Delphis homo cetera ignotus, Δελφὸς δὲ καὶ αὐτὸς ὤν.[2] Quarum orationum illa inscribitur Φάλαρις Πρῶτος, haec Φάλαρις Δεύτερος: titulique ratio et conformatio eadem atque in philosophorum dialogis illis: Ἀλκιβιάδης Πρῶτος et Ἀ. Δεύτερος, Ἱππίας Πρῶτος et Ἱ. Δεύτερος, Antisthenis Ἡρακλῆς ὁ Μέγας seu ὁ Μείζων.[3] Alio in-

---

9) Plut. Timol. c. 33; Dionis c. 58.

1) Dissert. Phalarid. p. 439 Lips.

2) Luciani II Phal. c. 3.

3) V. Dissertatt. Sic. I, p. 127; in talibus multum variatur, v. c. Ἀλκιβιάδης nude (Diog. L. IV, 59), Ἀλκιβιάδης Πρῶτος, Πρότερος (Athen. XI, p. 506 C.) Ἀλκιβιάδης ὁ Μείζων (Diog. L. IV, 62).

tellectu multarum tituli fabularum *Πρῶτος* seu *Πρότερος* et *Δεύτερος* praeferunt.

Initium interpretandi Phalaridis Lucianei sumens Solanus, „*Φάλαρις*, inquit, declamatio, quam rhetor scripserit"[4]; sed praeter Solanum *γνησιότης* harum orationum venit, quod sciam, in dubium nemini. Inter vetustiores Magister Thomas et Tzetza Lucianum tanquam auctorem excitant[5], hi tamen critica nusquam elegantia pollent: recentiorum nonnulli non modo nihil dubitant, verum etiam magnifice sentiunt, velut Wielandus: „die Apologie eines so verrufenen Tyrannen war ein artiges Süjet für eine Declamation, und die sinnreiche Dichtung, welche Lucian dabei zum Grunde legt (daſs Phalaris den Stier in dem Delphischen Tempel gestiftet) drückt dieser rhetorischen Composition den ächten Lucianischen Stempel auf:"[6] Böttigerus: „Jene zwei Reden für Phalaris Weihgeschenk .. sind voll des schärfsten Lucianischen Salzes"[7]; adde quod Bentleius pro Luciano propugnat. Ego etiam Luciano suum Phalarim non eripio, minus tamen honorifice de his scriptis sentio.

Permultis libellorum suorum Lucianus petitam ex historia rem aliquam tanquam fundamentum substruxit; atque hoc historici argumenti in Phalaride si quaeris, invenies facile eam esse controversiam, quid sit denique Phalaridis tauro factum. Lucianus igitur dum se-

4) Pag. 875 Tom. V Bip.

5) V. Thom. in *Ἀὐθέκαστος* p. 123 ed. Bern. cf. Scholl. ad I Phalar. initio; Tzetzae testimonium supra legitur sub litt. A.

6) Lucian's sämmtliche Werke Th. VI, p. 304.

7) Ideen zur Kunstmyth. p. 385.

cuni reputat, quo eam controversiam modo *χαριέντως* solvat, taurnm *ἐάᾳ μέγ᾽ ἄγαλμα θεῶν θελκτήριον εἶναι.*[8] Quocirca Phalaridi taurum Delphis dedicaturo affingit orationem omnis humanitatis plenam nihilque non purgantem: a qua *φιλανθρωπίᾳ* quia Phalaris vulgo alienissimus[9] credebatur fuisse, risum oratio movere debebat. Iam hinc patet, iure a Bentleio[10] Isocratem, quum de Busiride scribit, componi cum Luciano Phalaridem purgante non posse. Ei igitur Phalaridis defensioni a n i m i c a u s s a susceptae[11] auctor facetissime includit i r r i s i o n e m D e l p h i c a e a v a r i t i a e[12], n o n u n d e d o n e t u r, s e d q u i d q u a n t u m v e u n i c e s p e c t a n t i s. Quapropter Lucianus quamvis h i s t o r i c u m a g e r e his in libellis nolit, tamen nequaquam omnia fingit, verum partim comminiscitur, partim ad id, quod vult assequi, consilium accommodat ea, quae aliunde sublegerat. Exemplis disce: Phalarim propositurus est principem, qui, quidquid agat, subditos dedocere falso conceptam de ingenio suo opinionem non possit: quare quod alios principes bonae mentis conscientia ductos in simili caussa voluisse facere legimus, imperio et potestati valedicere omnino, idem in Phalarim transferens eum voluisse narrat liberum Agri-

---

8) Troiani consultant de equo illo Odyss. Θ. 508 9. *ἢ κατὰ πετράων βαλέειν ἐρύσαντας ἐπ᾽ ἄκρης, ἢ ἐάᾳν μέγ᾽ ἄγαλμα θεῶν* etc

9) Cfer Aeliani verba II V. H. c. 4. *τὸ ἔργον φιλανθρωπίαν ὁμολογεῖ καὶ διὰ τοῦτο ἀλλότριον ἐκείνου, Φαλάριδος, δοκεῖ.*

10) Opusc. philol. p. 33 Lips.

11) Vide Perizon. ad Aelian. l. c.

12) Cf. Böttigeri Ideen l. c.

gentum relinquere [13], tametsi nusquam hoc eum agitasse consilium legerat. Gloriatur Phalaris [14]: *φιλανθρώπως προςφέρομαι τοῖς καταίρουσιν, ὅς γε καὶ σκοποὺς ἐπὶ τῶν λιμένων ἔχω καὶ πευθῆνας, τίνες καὶ ὅθεν καταπεπλεύκασιν, ὡς κατ' ἀξίαν τιμῶν ἀποπέμποιμι αὐτούς:* in gratiam Phalaridis vides a Luciano rem odiosam converti, nam *σκοποὶ* illi et *πευθῆνες*, ut in illa aetate, citius id habuerunt mandati, quod posthac *Κωρυκαῖοι*, quos legimus *κατεσπαρμένους ἐν τοῖς λιμέσι τοῖς.. ἐμπόροις προςφοιτᾷν καὶ ὠτακουστεῖν, τί φέροιεν καὶ ποῦ πλέοιεν· εἶτα συνελθόντας ἀναχθεῖσι τοῖς ἀνθρώποις ἐπιτίθεσθαι καὶ ἁρπάζειν.* [15] Porro Delphicam avaritiam facete ridens Lucianus revocantem Phalarim facit, quam gravi olim poena miserum illum de *ἱεροσυλίᾳ* suspectum Aesopum affecissent *τῷ ἀπὸ τῆς πέτρας ῥίπτειν* [16] quocirca si Phalaris, *τὸν Περίλαον*, inquit, *ἄταφον κατὰ κρημνῶν ῥίπτειν ἐκέλευσα* [17], hunc finem Perilao dari putem, non quia in fontibus suis sic repererat Lucianus, sed quia auribus Delphensium Phalaris blanditur. Eodem pertinent Phalaridis haec verba: *ὁ ταῦρος ἀνατεθεὶς καὶ μηκέτι φυλαχθεὶς πρὸς ἄλλων κολαζομένων αὐλήματα* [18]: hic nimirum Phalaris amolitur a se crudelitatis crimen commendatque taurum eo quod non nisi ad unum puniendum asservarit; errares autem, si invitis aliis au-

13) I Phal. c. 4.
14) I Phal. c. 10.
15) Strab. XIV, 443 Cas., p. 181 ster.
16) I Phal. c. 6.
17) I Phal. c. 12.
18) I Phal. c. 13.

ctoribus inde efficeres, praeter Perilaum in eo tauro perisse neminem.

Luciano ficti Phalaridis Epistolas aut prorsus ignotas fuisse aut pro commenticiis habitas, cum Bentleio contendo; verum idem impugnat Epistolas auctoritate Lucianei Phalaridis et quae hic produntur, ea tanquam historica fide narrata quaerit quî conciliet cum aliorum narrationibus; v. c. videtur non abhorrere a credendo, taurum revera missum Delphos, sed reiectum a sacerdotibus esse, postea vero aut in mare abiectum aut asportatum Carthaginem.[19] Verum si reputo horum libellorum, quod supra exposui, consilium et rationem Lucianeam, Bentleium sequi nolim.

Ceterum suo Lucianus ioco, quo nullam φιλανθρωπίαν cum Phalaride non communicat, ipse sibi detrimentum peperit: inde enim effectum esse reor, ut a nonnullis Lucianus habitus sit pro Epistolarum Phalaridis subiectore.[20]

VI.

Ἀριστείδης ὁ Μιλήσιος.

In Parallelis Graecis et Romanis, quae pro libro Plutarcheo a plerisque haberi sunt desita, ad Aristidem Milesium tanquam rerum expositarum testem cum alias persaepe remittimur, tum praesertim in rebus Romanorum. Producuntur autem illius Σικελικά[1], frequentius Ἰταλικά.[2] Huncce Mi-

19) V. Bentleii Opusc. p. 440 Lips.

20) V. Valckenar. Praef. Epp Phalarid. p. V ed. Groning et Perizon. ad Aeliani V. H. II, 4.

1) V. Perallele Pseudo-Plut. p. 305 D.

2) Ibid. p. 306 C. 307 A. 308 D. 309 C. etc. etc.

lesium Aristidem Wyttenbachius censet de numero historicorum eximendum esse, ut qui „fictus sit ex Aristide Milesiacorum scriptore"[3]: quam ego severitatem iudicii haud sequar, quia nulla aetas non fert mixtos bonis scriptores — ineptissimos. Mirabile profecto est, ad solum Parallelorum libelli artificem unde confluxerint tantae amplitudinis opera[4] omnibus aliis invisitata; mirabilius etiam, quî Aristides tot tamque graves subinde res solus aut legendo cognoverit aut fando audierit; verum in servatis ex antiquitate reliquiis minimis versandum est nobis religiose et in scriptoribus vel infimis nihil nobis licet nisi narrationum futilitatem veritatemve expendere et, prout pulchre aut male scriptorem aliquem in examine illo stetisse censebis, vel acerbiore eum nomine insignire (quemadmodum nostrum Aristidem ob oculos habens Valckenarius[5]: „istiusmodi nebulonum, inquit, mendacia vix digna sunt memoratu"; aut Wesselingius[6] excerpto cuidam Aristidis loco hanc addit coronidem: „tu tamen tanquam hic exscriptum non foret, considerare poteris") exterminare autem de civitate et ad corvos abigere non licet.

3) Animadvv. in Plut. V. II P. I p. 80 Oxon.

4) Ἀριστείδης ἐν τεσσαρακοστῷ Ἰταλικῶν excitatur l. c. p. 307 A. Ceterum quae laudantur Ἱστορίαι l. c. p. 306 A. ab Ἰταλικοῖς nihil, ut argumentum docet, differunt.

5) Ad Herod. VII, 225 p. 58 Schw.

6) V. Diodor. Bip. T. X, p. 224 et p. 381; cf. Heyn. de fontib. Diod. p. LXXXVIII.

III.

DE
AMPHIPOLORUM APUD SYRACUSANOS
SACERDOTIO.

Est quoddam genus Philologorum identidem suam se curam in **res**, non in **verba** impendere dictitantium. Quos ubi interrogaveris, quid tandem sit caussae, quare non iungere potius alterum cum altero malint, haud idem ab omnibus responsi feres; hic dum caussabitur, „quia unius quam duorum postulatis satis facilius fiat", serio affirmabit ille: *τοὺς τῶν λέξεων ἐχομένους καὶ περὶ ταύτας ἀσχολουμένους διαδιδράσκει τὰ πράγματα*[1] cet. Ego et ipse rerum quam verborum latebras haud paullo libentius scrutor; sed quum viderim ad id locorum neminem, qui, quamvis susque deque haberet **verba**, tamen **reculas** illis subiectas verbis bene illustraret; ideo alienum ego morem relinquens sic pergam commentari, ut primum omnium verbum verbave diligenter exponam, tum etiam res aperiam: qua via ostenditur simul, cur inter verborum curam **aufugere** (*διαδιδράσκειν*) **res** immerito putentur.

Proinde universa, quam hic disceptandam sumo, caussa bifariam distribuitur: particula prior

1) Clem. Alex. Strom. II. 359 C. D. Sylb.

generatim examinat *Ἀμφιπόλου* vocabulum, eius formam et usum etc.; posteriore separatim continetur de Amphipolia, summo Syracusiorum per aliquot secula magistratu, quaestio.

PARTICULA PRIOR.

De Ἀμφιπόλου vocabulo quidquid indagari licuit, proponitur.

A.

Πέλω Πόλος Πολῶ Πολεύω Ἀμφιπολῶ Ἀμφιπολεύω.

Priscum verbum *πέλω* (*πέλομαι*) est, veterum poetarum cum aliis usitatum, tum usitatius Doricis[2]: sub quo quamvis subiiciatur maxime sententia *τοῦ εἶναι* et *γίνεσθαι*[3], tamen iam ipsi huic primigenio verbo *πέλω* etiam vertendi notionem adhaesisse recte contendit Lobeckius[4], gravissimus auctor, et, ut opinor, Eustathius: *τὸ „περιπλὸμένων ἐνιαυτῶν" ἐκ τοῦ περιπελομένων γίνεται ὅ ἐστι γενομένων ἢ περιπολούντων. Ὅτι δὲ τὸ πέλεσθαι καὶ ἐπὶ τοιούτου λέγεται, δηλοῖ τὸ „ἤματα μακρὰ πέλονται."*[5] Sed a *πέλω* posteaquam (intergerio vocis *πόλος*) prosemiratum fuit *πολῶ*[6], placuit,

2) Per iniuriam a nonnullis ad hos solos vindicatur.

3) *Πέλειν* a *πέλεσθαι* distinguit Schol. Odyss. Buttm *Σ*. 367: *τὸ μὲν σημαίνει τὸ εἶναι, τὸ δὲ τὸ γίνεσθαι*, sed verius Eustathius Iliad. p. 647, 15 Rom. *τὸ πέλεσθαι πολλαχοῦ μὲν παθητικῶς προφέρεται ... οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ ἐνεργητικῶς.* Cf. p. 1257, 58 Rom.

4) Ad Phrynich p. 583

5) In Odyss. p 1884, 60 R.

6) Ut a *βρέμω* (*βέβρομα*, *βρόμος*) *βρομέω*, *τρέμω* (*τέτρομα*, *τρόμος*) *τρομέω* etc.

ut in hoc nulla nisi vertendi vel potius versandi significatio inesset[7]; quam potestatem paullo extendens tu *πολεῖν* (cum poetice producto *πολεύειν*[8]) et *πολεῖσθαι* nunquam poteris non interpretari vertere, versare, itando frequentare, versari.[9] His e dictis sine negotio assequare, quam habeat vim verbum *ἀμφιπολεῖν*[10]: quod cum *ἀμφιπονεῖν* facile confundes, quanquam a vetere Critico[11] differentiam edoctus: *ἀμφιπονεῖν τὸ περί τι ἀναστρεφόμενον πόνον ἔχοντα· ἀμφιπολεῖν δὲ περί τι πολοῦντα, οὐ μέντοι καὶ κοπιῶντα:* velut in hoc Archilochi[12] versiculo:

Εἰ κείνου κεφαλὴν καὶ χαρίεντα μέλεα
Ἥφαιστος καθαροῖσιν ἐν εἵμασιν ἀμφεπονήθη:

Brunckius iu Analectis dedit *ἀμφεπολήθη* idque sine idonea caussa mutatum in *ἀμφεπονήθη* Iacobsius[13] censuit; verum quia demto poetico involucro nihil nisi *κόπος, πόνος,* cura condendi mortui significari videtur, longe, mea quidem sententia praestat *ἀμφεπονήθη.*

Usum verbi *ἀμφιπολεῖν* attingens scribit in Phrynichi Parergis[14] Lobeckius: „*πολεῖν, ἀμφι-*

---

7) V. ad Phryn l. c.

8) V Phrynich. Cl. Lob. p. 566.

9) *Πολεῖν γὰρ τὸ ἀναστρέφεσθαι* Apollodor. Fragm. p. 443 H.; Etym. M. 93, 34 *πολοῦσα τουτέστιν ἀναστρεφομένη.*

10) *Ἀμφιπολεῖν* incertum est an sit ab *ἀμφίπλος* ductum; Pindari saltem auctoritas *ἀμφεπόλησαν* scribentis (Nem. VIII, 9) obniti videtur.

11) Scholl. Theocr. I, 124.

12) Ap. Plut. de audiend. p. p. 23 B. Fragm. Lieb. p. 154.

13) Animadvv. ad Anth. Gr. I, 2. 153

14) Ad pag. 583.

πολεῖν, ἀναπολεῖν et vetus Ias et cultior Atthis frequentat": verum de ἀμφιπολεῖν, nescio an unquam, perraro certe usurpaverunt illud scriptores pedestres, etenim in Herodoteis [15] „ἀμφιπολεῦσαν ἐν Θήβῃσι ἱρὸν Διὸς" altera lectio ἀμφιπολεύουσαν vel ἀμφιπολεύσασαν, ut infra [16] dicetur, praeoptanda: genus vero solutae orationis Atticum videtur a verbo ἀμφιπολεῖν prorsus refugisse.

Exponitur iam porro de verbi eiusdem syntaxi. Et hic quidem ἀμφιπολεῖν, περιπολεῖν ἀμφί τινι Graece dicimur ex Heynii saltem praecepto [17] ad Pindari Scholia [18] provocantis; sed ut Scholiastae, sic Heynio imposuit prava lectio Ἱμέρᾳ εὐρυσθενὲ' ἀμφὶ πόλει, cuius in locum pridem Hermannus et Böckhius [19] recte substituerunt Ἱμέραν εὐρυσθενὲ' ἀμφιπόλει: dixitque ἀφιπολεῖν τι, τινά, quamvis diverso sensu, ubique Pindarus; item Theocritus [20] τύγ', ὦ Πάν, ἀμφιπολεῖς μέγα Μαίναλον: etiam Leonidas [21] Δίνδυμα καὶ Φρυγίης πυρικαιέος ἀμφιπολεῦσα, Μῆτερ, πρῶνας: Erycius [22] τὴν ἱερὴν Λάμψακον ἀμφιπολεῖς, Πρίηπε: ignotus poeta ψυχὴ μακάρων ἀμφιπολεῖ θαλάμους [23]: refragari videtur Bacchylides [24]: ᾧ δὲ μέριμν' ἀμφιπολεῖ φρενί, quae

15) Herod. II, 56.

16) Vide infra litt. D.

17) Homer. T. IV, p. 22.

18) Ad Olymp. XII, 1.

19) V. Böckhii Nott. critt. in Pind. p. 416.

20) Idyll. I, 124.

21) Anth. Palat. I, p. 278.

22) Anth. Palat. II, p. 699.

23) Ibid. II, p. 631.

24) Fragm. e Prosodiis p. 25 ed. Neue.

lectio impense placet novissimo illius poetae restitutori comparanti Homericum illud „μένος δέ οἱ ἔμβαλε θυμῷ": accommodatius etiam aequiparari poterat indidem sumtum hoc „ἄχος μιν ἀμφιβεβήκει φρένας" [25]: equidem in Bacchylideo versu φρένα pro φρενί verius legi etiam nunc arbitror. [26] A Sophocle contra quum dicitur Διόνυσος θείαις ἀμφιπολῶν τιθήναις [27], verbum ἀμφιπολεῖν acceptum est intellectu versandi cum Nymphis: unde perspicitur, quam ingeniose Valckenarius [28], hunc Sophoclis Bacchum τιθήναις ἀμφιπολοῦντα secutus, vetusto poetae [29] Διόνυσον μαινομέναις συνθέοντα τιθήναις (pro ἀνθέοντα τιμαῖς) donarit.

Quae super sensu et constructione verbi ἀμφιπολεῖν dixi hactenus, ea ut etiam melius pervideas, cum ἀμφιπολεῖν compone ἀμφιπολεύειν: nam plerisque in locis ἀμφιπολεύειν nihil est nisi productum more poetarum ἀμφιπολεῖν. Recte igitur Eustathius [30]: κατ' ἐπένθεσιν τοῦ ῡ, inquit, γέγονε τὸ βυσσοδομεύειν πρὸς χρησιμότητα τοῦ μέτρου ἡρωϊκοῦ, ὁμοίως τῷ ἡνιοχεύειν καὶ ἀμφιπολεύειν. Hanc autem productionem factam esse cum constructionis paene nulla mutatione, intellectus exigua variatione vel amplificatione, exemplis plusculis docebere: ἀμφιπολεύειν βίον [31], ὄρχατον [32]: Ἥλιος οὐρανὸν ἀμφι-

25) Odyss. VIII, 541.

26) Cf. Iacobs. ad Anth. Gr. I, 1. p. 280.

27) Oedip. Colon. 673 R.

28) Ep. ad Röverum p. 394 Opusc. T I.

29) Ap. Plutarch. de Exsilio p. 607 C.

30) Ad Odyss. p. 1513, 46 R.

31) Odyss. Σ. 254. Τ. 127.

32) Odyss. Ω. 244. 257.

πολεύει[33], ψυχὴ σκῆπτρον ἀμφιπολεύει[34], ὄφις πρέμνον ἀμφιπολεύει[35], μορφὴν Χαρίτων τριὰς ἀμφιπολεύει[36], πλόον ἀμφιπολεύειν[37], οὐρανίη γενεή σε ἀμφιπολεύει[38], φασὶν Ἐριννύας ἀμφιπολεύειν[39] (vagari), Ἐριννύσιν ἀμφιπολεύειν[40] (versari inter Erinnyas), κομμώτριαι περὶ γυναῖκας ἀμφιπολεύουσιν.[41]

B.

Ἡ Ἀμφίπολος in significatione δούλης seu ancillae verbum est veterum scriptorum, inprimis poetarum, consuetudine tritum.

Nostrum praeterit neminem, quam crebo apud Homerum tum verum tum suppositum hoc nomen ἀμφίπολος recurset; est autem in his, quae dixi, carminibus ἀμφίπολος: ἡ θεράπαινα[42], ἡ δῶμα κάτα δρήστειρα[43] vel, ut ait Seleucus[44], ἡ περὶ τὴν δε-

---

33) Empedocles ap. Macrob. Saturn. I, 17.

34) Marcellns in Anth. Pal. II, 776.

35) Orph. Argon. 933.

36) Paul. Silent. Anth. Pal. I, 163.

37) Ibidem II, 135.

38) Sophronius ibid. I, 34.

39) Hesiodi Ἔργ 803.

40) Odyss. Υ. 78; convenit cum supra laudato ἀμφιπολεῖν τιθήνας.

41) Clem. Al. Paedag. III, 229 C. Sylb.

42) Hesych. h. v., Suid. T. I, 153. Etym. M. 91, 6. 93, 34. Grammat. ap. Bekk. Anecd. 389, 11. Eustath. p. 1090, 60.

43) Odyss. Κ. 349.

44) Ap. Athenae. VI, 267 C cf. Toupii Ep. crit. p. 77 Opusc. ed. Lips. et Wunderlich. Observatt. in Tibull. I, 3. 87.

σποιναν θεράπαινα: unde patescit simul, ἀμφιπόλους prae conservabus honestas fuisse, quod inculcat aliquoties Eustathius[45]: αἱ ἀμφίπολοι σεμνὴ λέξις ἤπερ τὸ δμωαὶ καὶ δμωΐδες καὶ δουλίδες καὶ δοῦλαι. Praeterea Porphyrius ἀμφίπολον ab Homero de iuvenili potissimum ancilla memorari observaverat[46], cui sententiae patrocinari videtur ille versiculus: ἀμφίπολοι χρύσειαι ζωῇσι νεήνισιν εἰοικυῖαι[47], idem tamen Grammaticus etiam de vetula dici viderat, ut in γρηῦς ἀμφίπολος[48]: ego vero quamvis Homeri locos, qui sunt de ἀμφιπόλῳ, cum cura examinaverim, tamen in plerisque inesse nihil, unde ἀμφιπόλων aetatulam extundas, animadverti. Ceterum in Homeridarum carminibus sexies et sexagies ἀμφίπολος legitur[49] et id ubique de serva, ministra, nusquam de servo: recte itaque Grammatici: καὶ ἔστιν ἀμφίπολος ἐπὶ γυναικός[50], ἀμφίπολος ἐπὶ θηλείας[51], θατέρου γένους αἱ ἀμφίπολοι[52] etc., hi enim ita scribentes de Homero potissimum cogitarunt; et si toties occurrunt ἀμφίπολοι γυναῖκες, non ita est poeta locutus διὰ τὸ σαφὲς[53], i. e. ne de servis intelligeretur, sed ut semel iterumque reperitur θῆσσα γυνή, δμωῇσι γυναιξί cet. Apud Homerum igitur nusquam non ἀμφίπολος est serva, ancillula,

45) In Odyss. 1560, 11. 1883, 53.
46) V. Homerum Heynii T. IV, p. 476.
47) Iliad. Σ. 417.
48) Odyss. Α. 191.
49) Duodecies in Iliade, in Odyssea quater et quinquagies.
50) Scholl. Odyss. Α. 136.
51) Eran. Philo p. 169 Valck.
52) Eustath. p. 1624, 22. Cf. Thes. H. Steph. s. v.
53) Eustath. 1551, 13.

ministra, eademque potestate etiam ab Anacreonte [54] dicitur *ᾠνοχόει, ἀμφίπολος*, ab Aristophane [55] *ἀμφίπολοι, λύχνον ἅψατε*, a Sophocle [56] *ἀμφίπολος Κύπρις*, ab Euripide pluries [57], ab Orpheo [58] *ἀμφίπολοι τιθῆναι*, a Callimacho [59] *ἀμφίπολοι νύμφαι*, a Rhodio Apollonio [60] *ἀμφίπολοι πᾶσαι*, a Musaeo [61] *ἀμφίπολος μούνη*, a Colutho [62] *ἀμφίπολοι θαλάμων*, a Marcello [63] *ἀμφίπολοι γεράων*, a Tzetza [64] *δουλίσιν ἀμφιπόλοισι*: porro *ὅτι ἀμφίπολοι αἱ δουλίδες, δηλοῖ καὶ Ἡρόδοτος, ἔνθα φησὶ „καὶ τὰς ἐλευθέρας καὶ τὰς ἀμφιπόλους"* [65], i. e. liberas mulieres earumque famulas; adde huc eiusdem Herodoti hos locos: *τῶν ἀμφιπόλων τῶν προδουσέων τὴν θυγατέρα* et *γυνὴ αὐτὴ καὶ αἱ ἀμφίπολοι.* [66]

---

54) Ap. Athen. XI, 475 F. Fragm. Anacr. ed. Fisch. p. 267.

55) Ranar. 1367.

56) Trachin. 865.

57) Alcest. 89. Suppl. 1120 M.

58) Hymn. 42, 10. Argon. 1025. Lithicor. 309.

59) H. in Dianam 15.

60) Argon. III, 838.

61) De Herone 188.

62) Rapt. Helen. 321.

63) Anth. Palat. II, 776.

64) Antehom 110.

65) Eustath. p. 394, 26. Herodot. V, 92 extr.

66) Herod. II, 131. IX, 76. Quod Schweighäuserus in Lexico Herodoteo scribit de ὁ ἀμφίπολος tanquam apud Herodotum obvio, hoc ut deleatur auctor sum.

C.

Ὁ Ἀμφίπολος pro δούλῳ parcissime legitur.

Hactenus ἀμφιπόλον nomen, nisi genere feminino et de serva femina, non vidimus obvium; at veterum Grammaticorum unus neque is contemnendus, Ammonius, ἀμφίπολος, inquit,[67] κοινὸν ὄνομα ἄῤῥενος καὶ θηλείας δούλης, quam in sententiam discedit quoque Graecus Euripidis interpres: ἀμφίπολος οὐ μόνον ἡ δούλη, ἀλλὰ καὶ ὁ δοῦλος.[68] Quorum ego neutri derogo fidem, exemplis vero eam animadversionem firmare difficile. Et Franciscus quidem Passovius[69] Pindarum narrat hoc uti vocabulo in genere masculino ausum esse in his: κρύψε δὲ, Πιτάνα, παρθενίαν ὠδῖνα κόλποις· κυρίῳ δ' ἐν μηνὶ πέμποισ' ἀμφιπόλους ἐκέλευσεν ἥρωϊ δόμεν Εἰλατίδᾳ βρέφος[70]: hunc locum eodem, quo Passovius, modo duo de pluribus Scholiastae exponunt, scribens alter: πέμπουσα ἀμφιπόλους ἀντὶ τοῦ προςπόλους ἤγουν δούλους, alter: ἀποστείλασα θεράποντας ἐκπέμπει[71]: verum si carminis Pindarici, qui huc pertinent, versus cogitate legis, in incerto quidem videbis esse, famuline an famulae intelligi debeant, sed tamen famulas, quae ferant recens editam filiolam, verius et ad rerum, quales fere circa puerperio cubantem esse solent, conditionem accommodatius dici concedes, quemadmodum praeter duo quos dixi Scholiastas reliqui dudum ac-

67) De adfin. vocc. in Θής, ea describit Eustath. 1750, 63.

68) Schol. in Orest. 1401 M.

69) In Lex. s. h. v.

70) Olymp. VI, 32 Bckh.

71) Scholl. Pind. p. 137 Bckh.

ceperunt[72]: similiter Charilli, Spartanorum regis, matri, dum parturit, assident γυναῖκες, sed qui praeterea adsunt πάρεδροι ταῖς ὠδῖσιν αὐτῆς καὶ φύλακες[73], extra ordinem sunt appositi. Praeterea in hoc Orphei personati versu: ἀμφίπολον θανάτοιο κελαινῆς ἀσπίδος ἰόν[74], contendi potest ἀμφίπολον genere masculino dici, sed totius loci non grande momentum; erit autem ἀμφίπολος θανάτου ἰὸς virus mortem ferens, ut in Sophoclis loco supra excitato ἀμφίπολος τούτων Κύπρις est τούτων ἐργάτις[75] sive effectrix: contra, qui sunt apud Euripidem[76] ἀμφίπολοι Φρύγες, quin δοῦλοι sint, minus fore controversiae speramus.

D.

Ἀμφιπολῶ Ἀμφιπολεύω Ἡ Ἀμφίπολος Ὁ Ἀμφίπολος Ἀμφιπολία de sacro et dicato diis deabusque famulatu id est de sacerdotio nonnunquam usurpantur.

Horum vocabulorum ex una, ut ante scripsi, stirpe natorum est etiam similitudo haec, quod ad sacrum illud, quo diis tanquam dominis obeditur, famulitium transferuntur omnia; „in usu enim est, ut dicamus: sacerdos dicatus est numini h. e. ad obsequium datus." [77] Cuius translationis vestigia prima contuemur, quum ἀμφιπολεῖν

72) Scholl. ead. p. 136.

73) Ap. Plutarch. in Lycurgi c. 3.

74) Lithicor. 497.

75) V. Scholl. ad Soph. Trach. 865.

76) In Orestis v. 1402 M.

77) Servius in Aen. I, 73.

urbem aliumve locum dii dicuntur, qui suo illum adventu celebrant suaque praesentia quasi tuentur, quo sensu apud Homerum Apollo *ἀμφιβαίνων Χρύσην*[78] et *ἀμφιβάντες πόλιν δαίμονες* apud Aeschylum[79], *Βάκχος κλυτὰν ἀμφέβων Ἰταλίαν* apud Sophoclem[80], Ceres et Proserpina *εὖ τάνδ' ἀμφέπουσαι πόλιν* in Scolio[81], *Ἀφροδίτη ἃ Κύπρον ἐποιχνεῖ* apud Posidippum[82] invocatur. Huc trahito Pindaricum *Τύχα, Ἱμέραν ἀμφιπόλει:* Theocriteum *Πὰν ἀμφιπολεῖ Μαίναλον:* Leonideum *Δίνδυμα καὶ Φρυγίης πρῶνας ἀμφιπολεῦσα Μῆτερ:* Erycii *Λάμψακον ἀμφιπολεῖς, Πρίηπε.*[83]

In eadem caussa reperitur *ἀμφιπολεύειν*, ut in Orphicis[84]: *Ἀφροδίτη εὐλιβάνου Συρίης ἕδος ἀμφιπολεύει:* nec aliorsum accipio hoc poetae *ὑμνῳδοῦ*[85]: *Ἱστίη, ἥτε ἄνακτος, Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο, Πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ ἱερὸν δόμον ἀμφιπολεύεις*, quibus versiculis suos oppido assimilavit ficti poetilla nominis[86]: *Ἑρμῆ, ὃς παρὰ Περσεφόνης ἱερὸν δόμον ἀμφιπολεύεις, Αἰνομόροις ψυχαῖς πομπὸς κατὰ γαῖαν ὑπάρχων.* De constructione, cum his poetarum locis conveniunt magni historici[87] verba: *δοκέει ἐμοὶ ἡ γυνὴ αὕτη.. ἔπειτα δουλεύουσα αὐτόθι, ἐν Θεσπρωτοῖς,*

78) Iliad. *Α*. 37. cf. Odyss. *Ι*. 198.

79) Sept. c. Theb. 177.

80) Antigon. 1105.

81) Ap. Athenae. XV, 694 C.

82) In epigr. Anth. Palat. II, 491.

83) Horum locorum sedem iam supra indicavi.

84) Hymn. LV, 17.

85) Hymn. Homer. *κγ'* W.

86) Hymn. Orph. LVII, 5.

87) Herod. II, 56.

ἱδρύσασθαι ὑπὸ φηγῷ πεφυκυίῃ Διὸς ἱρόν· ὥσπερ ἦν οἰκὸς, ἀμφιπολεῦσαν Θήβῃσι ἱρὸν Διός, ubi codicum quidem parte stabilitur ἀμφιπολεύουσαν, e totius tamen loci ratione praestat ἀμφιπολεύσασαν, quanquam cur ἀμφιπολεῖν, quod erat orationi solutae aptius, Herodotus noluerit, ignoratur. Ceterum ἀμφιπολεύσασα Διὸς ἱρὸν γυνὴ in loco Herodoteo est „quae fuisset Iovii Thebis templi antistita, ministra."

Veniat ἡ ἀμφίπολος: ita enim aliquoties apud poetas appellatur sacerdos femina, fani antistita; huc numeres τᾶς ἐλαφοκτόνου θεᾶς ἀμφίπολον κούραν παῖδ' Ἀγαμεμνονίαν Euripidis[88]; Ἰδαίης ἀμφίπολον θαλάμης Dioscoridis[89]; τὴν Διὸς ἀμφίπολον Χελιδόνα ignoti poetae.[90] Praeterea nescio hue an queat trahi „ἡ σὺν ἀμφιπόλοισι φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη πλεξαμένη στεφάνους" e Κυπρίων fragmento[91]; certe iustius hic locus datur ἀμφιπόλοις Πειθοῦς ἐν ἀφνειῷ Κορίνθῳ[92], ut a Pindaro meretriculae Veneris Corinthiae ἱερόδουλοι vocitantur; Sidonii autem Antipatri[93] γλαυκᾶς Παλλάδος ἀμφίπολος Μυρὼ non est, ut arbitrere, Minervae sacerdos, sed Palladis ministra longo circuitu hic muliercula est gnaviter ac sedulo lanae dedita.

88) Iphigen. Taur. 1083 M.

89) Anth. Palat. II, 117: alibi θαλαμηπόλος proprie de sacerdote Cybeles, v. Iacobs. Anth. Gr. I, 2 p. 326.

90) In Appendice Inscriptt. Donian. no. 24 p. 558, Murator. Thes. p. 1450; cf. Iacobs. Anth. Palat. Append. no. 337.

91) Ap. Athenae. XV, 682 F. Cf. Huschkii Anal. crit. p. 34.

92) Fragm. Scol. 1, p. 608 Bckh.

93) Anth. Palat. I, 434.

Nunc aggredior dicere, ubi ὁ ἀμφίπολος in veteribus monimentis denotet sacerdotem. Narravit Hesiodus[94]: τὸν Κυχρείδην ὄφιν (qui e Salamine erat eiectus) ὑποδέξασθαι τὴν Δήμητραν εἰς Ἐλευσῖνα καὶ γενέσθαι ταύτης ἀμφίπολον h. e. der Drache habe ihr gedient; dicat tamen aliquis hic sacerdotem, qui proprie dicatur, intelligi non posse; incognitum est et illud, utrum in Hesiodeis, unde excerpsit, Strabo repererit ἀμφιπόλου vocem, an dederit de suo; quibus de rebus conticescit etiam, qui nuper Hesiodea haec attigit, I. H. Vossius.[95] Argis Ἀπόλλωνος ἀμφίπολον noverat Plutarchus[96], sed ne hic quidem constat, propriumne id inter Argivos nomen habuerit Apollinis ille antistes, an in Plutarchea tantum narratione. Nec praeteribo Pindarici Paeanis[97] exordium, in quo Neoptolemum cantaverat perisse ἀμφιπόλοισι μαρνάμενον μοιριᾶν περὶ τιμᾶν h. e. pugnantem (Delphis) cum sacrificulis, sacrorum ministris.[98]

Praeterea hoc etiam animadverte: quemadmodum verba multa munus professionemque significantia in εύω terminantur[99], ita quoque ἀμφιπολεύω hic illic tantundem videtur valuisse, quantum ἀμφίπολός εἰμι h. e. sacerdos sum, consimili prorsus ratione formatum qua παρεδρεύω, ταμιεύω, προφητεύω,

94) Ap. Strabon. IX p. 236 ed. stereot. cf. Steph. Byz. in Κυχρεῖος et Tzetza in Lycophr. v. 110.

95) Hymne an Demeter Erläuterung. p. 17 et 45.

96) Quaest. Graec. p. 296 F.

97) Fragm. Pind. p. 568 Bckh.

98) V. intpp. Pind. Nem. VII, p. 426 B.

99) V. Phrynichum Lobeckii V. C. p. 566.

ἱερατεύω, ἀρχοντεύω[100] cet. Hoc ἀμφιπολεύω, quod cave confundas cum ἀμφιπολεύω ex ἀμφιπολῶ tantum producto[101], coniungitur dativo; quod idem Passovius cum Schneidero[102] affirmant, neuter locorum auctoritate probantium nititur: ego ἀμφιπολεύειν θεῷ in inscriptione[103] reperi, accedit analogia ὑποζακορεύειν τινί[104], ἱερᾶσθαι et ἱερατεύειν τινί, tum in Diotimi epigrammate[105] legitur Ἀναξὼ Δήμητρι προπολεῦσα h. e. sine dubio: „quae Cereri erat sacerdos."[106] Quo successu in inscriptione Fourmontiana haec: Των Ιερων Αμφ Osannus[107] suppleverit τῶν ἱερῶν ἀμφιπολεύσασαν, nescio; hoc scio, Osannum ibi de ἀμφιπολεύειν disputare ἀδιακρίτως. Ceterum ἀμφιπολεύειν τινί i. e. ἀμφίπολον εἶναί τινι, sacerdotem esse dei deove, nulla nisi languentis Graeciae monimenta praebent.

Denique ἀμφίπολος in significatione sacerdotis etiam ex se progenuit nomen ἀμφιπολία[108] sa-

---

100) Haec Letronnius coacervavit in Bulletins des sciences historiq. Octob. 1824 p. 266.

101) V. Phrynich. l. l.

102) Uterque in Lex. s. h. v.

103) Infra eam exhibeo integram.

104) V. Dorvill. in Charit. p. 390 Lips.; Ταμινυρα .. ιερατευουσα Αφροδιται Ουρανιαι in inscriptione apud Castell. Cl. III, 4. Reines. Cl. V, 11.

105) Anthol. Palat. I, 530.

106) Opponi posset, quod Anaxo viro nupserat, eam videri Cereris sacerdotem non fuisse; sed vide Iacobs. ad Antholog. Graec. I, p. 185.

107) Syllog. inscript. Sect. II. no. 22 p. 271.

108) Ἀμφιπολία ut δικαςπολία, minus recte nonnulli ἀμφιπολεία. Praeterea ab Euripidis Scholiasta ad Orest. v. 106 M. scribitur: ἀμφίπολος ἡ κατὰ κύκλον περιστροφή,

cerdotium, quam vocem non plus quam semel idque apud Diodorum legi, ubi Syracusanae Amphipoliae meminit, de qua continuo scribetur accuratius.

Ex hac commentatione nemo infitiabitur liquere, *ἀμφίπολον* tum in intellectu servi tum sacerdotis perparce et a solis fere poetis usurpari. Hinc in sequente particula quaeratur et hoc oportet, bene elegerint necne, vel potius cur Syracusani, quum praeditis amplissimo sacerdotio viris titulum excernerent, id maxime nomen optarint, quo reliqua se Graecia parum esse delectatam ostentat.

PARTICULA POSTERIOR.

De Syracusiorum Amphipolia.

Dionysius posteaquam e Sicilia decessit Olympiadis CIX, 2; 343 a. C., Timoleon est statim adortus *νομογραφεῖν*[109], civitatis Syracusanae rectorem esse volens populum i. e. *τιθεὶς δημοκρατικοὺς νόμους*[110] seu populi imperium, quod est, ut ait Tacitus, „iuxta libertatem."[111] Reque vera

---

verum *ἀμφίπολος* tanquam nomen abstractum ut legitur nusquam, ita adversatur analogiae: ille scripsit fortasse *ἡ κατὰ κύκλον περιστρεφομένη*, cf. Etym. M. 93, 34 *ἀμφίπολος οἱονεὶ ἡ περὶ τὴν δέσποιναν πολοῦσα, τουτέστιν ἀναστρεφομένη.* Non magis constat de nomine *ἀμφιπολή*, quod in usu olim fuisse dicitur ab Etym. M. 91, 6 *ἀμφιπολῇσι: περιπορείαις.* Redit autem *ἀμφιπολὴ* ad *ἀμφιπέλω: ἀμφιπέλεσθαι* est in Odyss *Α*. 352.

109) Diod. Sic. XVI, 70.

110) Diod. l. l.

111) Annall. VI, 42.

exinde τὸν τῶν Συρακουσίων δῆμον, τὰς ἐκκλησίας, τοὺς πολίτας ψηφίσασθαι animadvertimus de publicarum rerum τῶν δημοσίων[112]) gravissimis. Eodem vero tempore Timoleon etiam κατέστησε τὴν κατ' ἐνιαυτὸν ἐντιμοτάτην ἀρχήν, ἣν Ἀμφιπολίαν Διὸς Ὀλυμπίου οἱ Συρακούσιοι καλοῦσι[113]: quam historici vocem si interpretabimur ita, ut fere hodie solet fieri, Timoleon aristocratiam, quae nominatur, instituisse erit dicendus.[114] Nec defore arbitror, qui suspicentur a Timoleonte vere principatum, cuius penes optimates summa fuerit, factum esse, sed tectius et modico sacerdotii nomine ex suspicione exemtum; verum id a Timoleontis μισοτυράννου et μισοπονήρου[115] moribus et ingenio credi non potest quam longe abhorreat; Timoleontis dico illius, qui, quod paucis datur, gloriari poterat: „Tota vita mea id egi, ut omnes liberi essemus."[116] Iudicatote quid ego successus in expedienda ea difficultate habuerim.

In Syracusiorum Ὀλυμπιείῳ[117] iam multis ante Timoleontem annis videtur aut unus modo fuisse sacrorum antistes aut, ceterorum quasi praefectus, saltem auctoritate eminuisse; legimus enim: Ἱπποκράτης ὁ Γελῶος τοὺς Συρακουσίους νενικηκὼς κατεστρατοπέδευσεν εἰς τὸ τοῦ Διὸς ἱερόν· κατέλαβε δὲ αὐτὸν τὸν ἱερέα καὶ τῶν Συρακουσίων τινὰς καθαιροῦντας

---

112) Plut. Timol. c. 38; cf. Tittmann. Griech. Staatsverf. p. 506.

113) Diod. l. l.

114) Cf. Müll. Dor. II, 162.

115) Plut. Timol. c. 3.

116) Ampelius lib. memor. p. 323 ed. Salmas.

117) Vide Additamentum.

ἀναθήματα χρυσᾶ.[118] Non igitur Timoleon demum hunc Iovi antistitem instituit, sed ut illius sacerdotium annuum esset, ut eum in republica locum obtineret, ne multa, Iovis sacerdotem eum, qualem Diodori adhuc aetas vidit, Timoleon fecit. Iterum tamen quaeritas, quid fuerit, quod in tanto fastigio vellet esse sacerdotem? Ad hoc erunt qui respondeant Timoleontem id suae erga deos pietati dedisse.[119] Recte. Praeterea putarim his sacerdotibus ab ipso Timoleonte partes in moderandis rebus civilibus datas esse nullas, fortasse ne cui de „genere illo nimis acuto et suspicioso"[120] is magistratus videretur minitari periculum: sed huius sacerdotii, quod per se iam non potuit non esse ἐντιμοτάτη ἀρχή[121], spondeo ni ipsi Syracusani in maius auxerint auctoritatem. Quod fecisse illi non necessario putandi sunt adulationis ergo, quanquam „nationis Siculae vitium adulatio"[122], sed quum per aliquantum temporis felices essent χρώμενοι πολιτείᾳ καὶ νόμοις οὓς ἐκεῖνος κατέστησε[123], vel grato erga Timoleontem animo adduci potuerunt, ut ad sacerdotem illum nonnihil interdum rerum civilium deferrent, atque ita moti etiam fuerint, ut horum

118) Excerpta de Virt. et Vit. in Diodor. Bip. T. IV; p. 65; narratio spectat ad annum a. C. 492.

119) Nep. Timol. c. 4 „nihil rerum humanarum sine deorum numine geri putabat." Plut. Timol. c. 36 τὴν οἰκίαν Ἱερῷ Δαίμονι καθιέρωσεν.

120) Cic. Divin. in Caecil. c. 9. cf. Ascon. in eum locum p. 266 ed. Schtz.

121) Diod. l. l.

122) Curtius VIII, 5 Cleon Siculus nationis vitio adulator; cf. Valckenar. Ep. ad Röver. p. 355 Opusc.

123) Plut. Timol. c. 39.

sacerdotum nomina facerent indices annorum numeri; certe in his: *καὶ τὸ λοιπὸν διετέλεσαν οἱ Συρακούσιοι τοὺς ἐνιαυτοὺς ἐπιγράφοντες τούτοις τοῖς ἄρχουσι*[124], nihil inest, unde a Timoleonte ipso id institutum fuisse concludas: accedit eodem, quod Plutarchus de his omnibus silet, qui quanquam vitas, non historias scripsit, hoc forsan tacitus non praeterisset.

Hoc sacerdotium est *Ἀμφιπολία* Iovis Olympii vocitata et, qui eam habuerunt singuli sacerdotes, *Ἀμφίπολοι*. Quarum vocum dixi supra quanta sit apud vetustos scriptores hoc intellectu raritas necdum mirari desino, quo id se nomen Syracusanis adeo commendaverit: nisi forte tituli magnificentiam adspernati voluerunt, ut, quae obiret munia sacerdos, inde modestum Famuli nomen nancisceretur, *οὐ γὰρ δεῖ ἐπίφθονον ὄνομα καὶ βαρὺ θέσθαι ἀρχῇ πόλιν ἐλευθέραν ἐπιτροπευούσῃ.*[125] Sic fere Thebani *ἱερέα ἐνιαύσιον ποιοῦσιν· ἐπίκλησις δέ ἐστιν οἱ Δαφνηφόρος*[126]: Lysias, Tarsensium tyrannus, *Στεφανηφόρος αἱρεθεὶς, τουτέστιν ἱερεὺς Ἡρακλέους, οὐκ ἀπετίθετο τὴν ἀρχήν*[127]: Opuntii *τὸν ἐπὶ τῶν θυσιῶν ἄρχοντα… Κριθολόγον ὠνόμαζον*[128]: Themistocles proditur *ἐν Μαγνησίᾳ τὴν στεφανηφόρον ἀρχὴν ἀναλαβόντα θῦσαι Ἀθηνᾷ*[129]: crebrius talia nomina repererunt feminae sacerdotes, uti Corinthiorum *Λουτροφόρος* (est *παρθένος ἱερωσύ-*

124) Diod. l. l.

125) Dionys. Halicarn. Antiq. Rom. V, 73.

126) Pausan. Boeot. c. 10, 4.

127) Athen. V, 215 C. cf. Münter. Relig. der Karth. p. 56.

128) Plut. Quaest. Gr. p. 292 C.

129) Possis ap. Athenae. XII, 533 E. haec scribit.

τὴν ἐπέτειον ἔχουσα[130]): similiter Γεραιραί: ἱέρειαι κοινῶς, ἰδίως δὲ παρὰ Ἀθηναίοις τῷ Διονύσῳ.. τὰ ἱερὰ ἐπιτελοῦσαι.[131] Hoc etiam paene miror, quod Ciceroni in Verrinis ipsum Ἀμφιπόλου nomen nusquam excidit, praesertim quum hoc sacerdotium non minus esset dignum, cuius proprium nomen explicaret, quam curia Syracusana, de qua idem: „in curia Syracusis, quem locum illi buleuterion vocant, honestissimo loco et apud illos clarissimo."[132]

In cooptando quotannis hoc sacerdote quid consuetudinis fuerit ac legis statutum, a Diodoro paene celamur, is enim scribit brevius quam curiosius: ᾑρέθη πρῶτος Ἀμφίπολος Καλλιμένης.[133] Quod damnum luculenter Cicero reparat; „Syracusis, inquit[134], lex est de religione, quae in annos singulos sacerdotem sortito capi iubeat: ..quum suffragiis tres ex tribus generibus electi sunt, res revocatur ad sortem." Genera quae hic essent, minus lucide Tittmanno[135] apparuerat, contra Odofredus Müllerus[136] non dubitat reddere „Geschlechter": nec, hercle, video, qui aliter queat reddi; nam Cicero, si genera volebat intelligi sensu a vulgari scientia remotiore, non sic erat nude scripturus. Utut est, illud licet diffidere, hanc capiendi illius sacerdotis rationem (quiddam

130) Pausan. Corinth. c. 10, 4.

131) Lex. rhetor. Bekkeri p. 228. 231.

132) Verrin. II, 21.

133) Diod. XVI, 70.

134) Verrin. II, 51.

135) Griech. Staatsverf. p. 507.

136) Dor. II. p. 162.

ἀριστοκρατικὸν inest et cum populi imperio minus conveniens) ab initio constitisse.

Diu incolumis Amphipolia mansit; etiam adhuc Verris tempore furoris id sacerdotium, eum honorem (Iovis sacerdotem esse) apud Syracusanos amplissimum his terque Cicero dicit.[137] Nec multo tamen post ἡ τῶν Ἀμφιπόλων ἀρχὴ ἐταπεινώθη[138] et quidem Ῥωμαίων μεταδόντων τοῖς Σικελιώταις τῆς πολιτείας[139]: qua civitate Romana Sicilia universa primum est tanquam e Caesaris testamento per Antonium donari coepta.[140] Constat igitur Diodori ratio sacerdotium illud ἔτη πλείω τῶν τριακοσίων διαμεῖναι tradentis.[141] Sed quanquam non ad exiguum tempus Amphipolia duravit, tamen non plus quam tres Amphipolos reperio, quos nominatim proferre possim: *Callimenes* huic sacerdotio primus[142] praefuit; *Theomnasti* et *Heraclii* Iovis sacerdotum Verri aequalium Cicero[143] meminit. In quo fuit mihi mirabilius, in tot lapidibus ac nummis Siculis mentionem Amphipolorum inferri paene nullam. Paruta quidem in nummo Syracusano *urceolum* conspicatus Amphipolum sibi videtur deprehendisse, cui ex inscriptis eidem nummo litteris ΕΥΘ conficit nomen Εὔθυμος[144]: idem Paruta in

137) Verrin. II, 51. IV, 61.

138) Diod. l. l.

139) Diod. l. l.

140) Vide egregiam animadversionem Wesselingii ad Diod. XIII, 35. p. 567. ed. Bip.

141) Diod. XVI, 70.

142) Diod. l c.

143) Verrin. ll. cc.

144) Siciliae Numism. p. 308 s. scilicet *urceolo* illo designari credit hydriam, qua teste Cicerone (Verr. II, 51) in

duobus aliis nummis *AM. ΦΙΛΩΝ* et *ΑΜΦΙ. ΑΒΡ.* interpretatur „Amphipolo Philone vel Philonida" et „Amphipolo Abrotonicho."[145] Probabilius nuper Panofka in inscriptione theatri Syracusani mutilatum hunc versum.. *ΙΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΥ*.. supplevit [*Αμφιπολος Δ*]*ιος Ολυμπιου.*[146] Mihi certe nullum adhuc decretum innotuit, in quo annum Amphipoli nomine insignitum (nam anni inscribebantur his sacerdotibus ad Diodori usque aetatem[147]) reperissem, sed nihil dubito quin scripserint *Επι Αμφιπολου N. N.*, quemadmodum *ἐπὶ Χρυσίδος ἐν Ἄργει ἱερωμένης*[148], in qua civitate pariter *ἠρίθμουν τοὺς χρόνους* (i. e. *τὰ ἔτη*[149]) *ἀπὸ τῶν ἱερειῶν.*[150]

Denique exstiterunt haud pauci, qui in Melita etiam invenirent nescio quam Amphipoliam eamque ex Sicilia illuc traductam esse censerent.[151] Nituntur autem hi ea inscriptione, ob quam paene super-

---

sortitione usi sint. Praeterea G. H. Nöhdenius Selection of ancient coins cet. Lond. 1824 in nummo Syracusano *Ευϑ* legit etiam *Εὔϑυμος* vel *Εὐϑύδημος* nomenque putat sculptoris aut magistratus. Vincentius autem Mirabella in Explicatione Numism. Syracus. p. 133 (Thes. Sic. vol. XI) *Ευϑ* interpretatur *Ευϑαλια* i. e. „felix triumphus et festum hilare"!

145) Parut. Sicil. Numism. l. c.

146) V. Lettera sopra una iscrizione di theatro Sir. p. 42.

147) Diod. l. l.

148) Thuc. II, 2.

149) Notum est, *χρόνος* pro *ἔτει* in inferiore Graecitate inveniri, v. Lennep. ad Phal. p. 15 Gron.

150) Scholl. ad Thucyd. l. l.

151) V. Wesseling. ad Diod. XVI, 70 p. 567 Bip.

biunt Melitenses[152], quaque repraesentatur[153] quidam *Προυδηνς Ιππευς Ρωμ Πρωτος Μελιταιων Και Πατρων*[154] *Αρξας*[155] *Και Αμφιπολευσας Θεω Αυγουστω Σεβ.* Contendi recte videtur Prudentem fuisse fani cuiusdam Deo Augusto dicati antistitem, etenim „Augustus vivus templa[156] emeruit" non mortuus solum; potuitque, contra quam Reinesio videtur[157], templum Augusti honoribus votum in insula reperiri; sed verbo *ἀμφιπολεύειν*[158] nemo facile dicat an utantur Melitenses ideo, quod a Siciliensibus audierunt.

Negari autem nequit in compluribus Graeciae, Doriensis praesertim, civitatibus reperiri sacrorum antistites, quorum inter alios magistratus prominentium nomine acta publica signabantur: id loci ac dignitatis habuerit Byzantiorum Hieromnemo (*Επι Ιερομναμονος Βοσποριχω*[159]), Acarnanum Hierapolus (*Επι Ιεραπολου Τω Απολλωνι Τω Ακτιω*[160]), qui Actii Apollinis sacerdos, quia sic proprie vocitatus videtur[161], cum Syracusano Amphipolo mul-

---

152) V. Abelae Malta illustr. II. p. 146 Thes. Sic. vol. XV.

153) Gruter. p. 388, 4. Reinesius p. 357. Castell. V, 10.

154) H. e. patronus, ni fallor; v. Reiff. ad Artemidor. IV, 81.

155) Male Castellus *Αρχας*, quam tuto sequitur Tittmannus Gr. Staatsverf. p. 516.

156) Servius ad Virg. Ecl. I, 7.

157) Ad inscript. l. c.

158) De syntaxi *ἀμφιπολεύειν τινί* dixi supra.

159) Demosth. de Corona 228 Bekk.; cuius Dei sacerdos fuerit, non constat, v. Müller. Dor. II, 168.

160) Vide inscriptionem Actiacam in Classical Journ. XVII. p. 367.

161) V. Boissonad. ad inscript. Actiac. l. p. 368.

tum habet similitudinis. Geloorum decretum habetur[162] *Επι Ιεραπολου*[163] *Αριστιωνος* conceptum, sed de positae huius pilae tempore nihil constat; Agrigentinorum vero psephisma *Επι Ιεροθυτα Νυμφοδωρου του Φιλωνος*[164] manifesto prodit Siciliae Romanis iam parentis vestigia[165] nec minus Melitense decretum *Επι Ιεροθυτου Ικετου* factum.[166] Praeterea „Cephaloedi mensis erat certus, quo mense **s a c e r d o t e m m a x i m u m** creari oportebat"[167]; verum quo in fastigio honoris Cephaloeditani hunc suum sacerdotem maximum collocaverint, ignoramus.[168]

---

162) Castelli inscriptt. Siciliae p. 84; Murator. Thes. p. 642: Dorvillii Sicul. p. 501.

163) Mala Tittmann. p. 515 *ἱεραπώλης* scribit.

164) Gruter. p. 401; Castell. inscr. Sic. VIII, 2.

165) V. Dissertatt. Sic. I. p. 158.

166) Gruter. p. 400; Castell. l. c. Inter Arcades etiam erant tres sacrificuli *ἱ ε ρ ο θ ύ τ α ι καλούμενοι* Paus. Arcad. c. 42, 5. Praeterea vox *ἱεροθύτης* nondum mihi occurrit; itidem rarissime legitur *συνθύτης*, da quo egi Dissertat. de Cerare Chthonia p. 16; *ἐπιθύτης* Caylusius finxit, v. Dissertat. l. c.; Metagenes *ἐν Φιλοθύτῃ* excitatur apud Bakk. Anecd. p. 91, Athenae. XV, p. 701 A.

167) Cic. Verr. II, 52.

168) Itidem nihil extudit Vincentius Auria in „Origine et antiquitata urbis Cephaloed." p. 7 at p. 27 Thes. Sic. vol. XIV.

ADDITAMENTUM.

De Syracusiorum Ὀλυμπιείῳ.

Sedem Iovi Olympio paratam fuisse novimus praesertim Athenis[1], Megaris[2], Patris[3], Agrigenti[4] et Syracusis: eamque ad haec omnia loca religionem esse imitatione propagatam, ausim affirmare, etsi de Syracusanis quam de reliquis fidentius.[5] Cognomine Iovi huic Olympio Agrigentinum templum[6] perfectum non est, *συντέλειαν οὐκ εἴληφεν*[7]: apud Megarenses *τέμενος* quoddam a Iovio fano consuerat appellari *Ὀλυμπίειον*[8]: Syracusiorum *Ὀλυμπίειον* tum Iovis Olympii delubrum est tum quidquid agri vel aedificiorum paullatim ei Olympio[9] accrevit. In hoc Olympiéo *χρήματα* servabantur[10], ideo et ob multa *ἐν αὐτῷ χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ ἀναθήματα* Athenienses *ὥρμησαν*

1) Paus. Att. c. 18, 6.

2) Ibidem c. 40, 3.

3) Idem Achaicor. c. 20, 2.

4) Polyb. IX, 27.

5) Cf. Müller. Dor. I, 116. 395.

6) Polyb. l. l. Huno locum tractavit nuper Marchese G. G. Haus in: Raccolta di opuscoli spettanti alle belle arti etc. Palerm. 1823. 8; huo spectat commentatio prima: Saggio sul Tempio et la Statua di Giove in Olimpia et sul Tempio dello stesso Dio Olimpio recentemente dissoterrato in Agrigento: L. Klenzii de templo Iovis Olympii Agrigentino libellum nanoisci non potui.

7) Diod. XIII, 82 τὸ Ὀλύμπιον.

8) Pausan. Att. l. c.

9) Ita Liv. XXIV, 33; cf. Poppo Thuc. I, 2. p. 514.

10) Thuc. VI, 70.

καταλαβεῖν.[11] Ibi quoque tabulae (σανίδες) positae erant, in quibus civium Syracusiorum nomina ad tribus descripta erant.[12] Denique noli hoc Olympiéum, quod erat ἄπωθεν τῆς πόλεως[13], confundere cum „templo Iovis Olympii egregio"[14], quod erat in Achradina: hoc **intra urbem** Ὀλύμπιον[15] ab Hierone demum rege exstructum erat[16] et hic fortasse fuerunt „suspensa spolia Gallorum Illyriorumque dono data Hieroni a populo Romano"[17] fixaque ab eo in Olympii Iovis templo, unde inter tumultum postea inermes detraxerunt.[18]

11) Plutarch. Niciae c. 16.

12) Plut. ibid. c. 14; cf. Dorvillii Sicula p. 191. Nonnullis, dum haec legunt, succurret opinio Ernesti ad Suet. Galb. c. 12 prodita, in templis etiam fuisse tabulas putantis, in quibus donaria, signa etc. descripta erant. **Inventaria** hodie dicunt.

13) Plut. Niciae c. 14.

14) Cic. Verr. IV, 53.

15) Sic Diod. XVI, 83.

16) Diodor. l. l., Dorvill. l. c.

17) Liv. XXIV, 21. Plutarchi Marcell. c. 8.

18) Liv. l. l.

AD-

ADDENDA.

Ad pag. 9. In Iliadis versibus his (*Α*, 241—43) „*ὣς ὁ μὲν αὖθι κοιμήσατο . . ἀπὸ μνηστῆς ἀλόχου . . κουριδίης, ἧς οὔτι χάριν ἴδε, πολλὰ δ' ἔδωκε*" Koeppenius ea verba, quae litteris maiusculis insigniuntur, interpretari stndebat advocatis *ἀνακαλυπτηρίοις*: quae explanatio, quanquam vi oppositorum defendatur, tamen non modo, ut ait Heynins (Il. T. IV p. 163), arguta est, sed ne satis quidem redolet antiquitatem.

\- - 37. Exemplis adde Homericum illud (Il. Θ, 203) *Ποσειδῶνι εἰς Ἑλίκην καὶ Αἰγὰς δῶρ' ἀνάγουσι*. Passovium autem non seqnar, qui (Lex. v. *ἀνάγω*) dicit in *ἑορτήν*, *θυσίαν ἀνάγειν* et simil. praepositionem *ἀνά* essa „ohne merklichen Einfluſs."

\- - 65,66. In libro: „Reise durch Sizilien. Aus dem Franz. des Grafen Forbin" commemoratur p. 85: „der Palast des Phalaris" et iterum p. 95 narratur „von dem Schlosse des Phalaris, dem Augenzeugen so vieler Qualen." Utroque loco Forbinus intelligere videtur Phalarium.

\- - 85. Dixi a nomine *Φαλαρισμὸς* haud inepte coniecturam capi, etiam *Φαλαρίζειν*, unde est ortum illud, in usu fuisse: nunc video Passovium Lexico suo iam indidisse hoc *Φαλαρίζειν* sine ulla dubitationis nota, velut si apud optimum quemque veterum scriptorum lectitasset.

\- - 85. Tzetza tyrannum Agrigentinum semel, ut dixi, *Φάληρον* appellat, Callimachum sic esse loquutum falso praetexens. Tzetzae menti animoque obversabatur forsan fabulosus ista *Φάληρος* ex Hesiodi Scut. 180.

\- - 90. Legentium modo perpaucis, opinor, praesto erunt Byroni Opera. Huc igitur transferam ipsa elegantissimi poëtae de Dorotheo Mitylenaeo verba, ut in editione Francofurtana (The Works of Lord By-

ron complete in one volume 1826) Animadversionum p. 701 leguntur: „Coray, however, is not considered by his countrymen equal to some who lived in the twe last centuries; mora particularly Dorotheus of Mitylene, whose Hellenic writings are so much esteemed by the Grecks, that Melatius terms him: *Μετα τον Θουκυδιδην και Ξενοφωντα αριστος Ελλήνων.*"

Ad pag. 105. Ut facit Lucianus narrantem Phalarim: *τὸν Περίλαον κατὰ κρημνῶν ῥίπτειν ἐκέλευσα*, similiter a Phalaride oonsultum esse in artificem Tzetza scribit: *ἐξάξας ἡμιθνῆτα κατὰ πετρῶν ἐκρίπτει, κατὰ πετρῶν ἐκρήμνισε* (Chil. V, 853. I, 666). Res nihilo fit certior, quum a Luciano haeo Tzetza didicerit.

\- - 112.13. Neglaxi Pythicam vocem Hesiodo, ut fertur, redditam: *Ὄλβιος οὗτος ἀνὴρ, ὃς ἐμὸν δόμον ἀμφιπολεύει, Ἡσίοδος* (v. Homeri et Hesiodi Certamen p. 489 ed. Lösn., cf. Robinsoni Diss. de Hesiodo p. XXXVII).

\- - 116.17. Omisi alium Euripidis locum a Plutarcho servatum in Comparatione Demetrii c. Anton. c. 3 (Euripidis Fragm. p. 388 T. IX M.): *ἐν ταῖς τοῦ πολέμου παρασκευαῖς οὐκ εἶχεν αὐτοῦ, Δημητρίου, τὸ δόρυ κιττὸν, οὐδὲ μύρων ὠδώδει τὸ κράνος· οὐδὲ γεγανωμένος καὶ ἀνθηρὸς ἐπὶ τὰς μάχας ἐκ τῆς γυναικωνίτιδος προῄει, κοιμίζων δὲ τοὺς θιάσους καὶ τὰ βακχεῖα καταπαύων, ἀμφίπολος Ἄρεος ἀνιέρου, κατὰ τὸν Εὐριπίδην, ἐγένετο*: quo in loco *ἀμφίπολος* pariter in genere masculino usurpatur. Idem vero est *ἀμφίπολος Ἄρεος*, qui apud Homerum *θεράπων*: et in nostro quidem loco „Martis profani minister" dicitur is qui fortem intrepidumque ac ferocem se hellatorem exhibuit. Persimila involucrum est in *Παλλάδος ἀμφίπολος Μυρώ*, vide me p. 119.

\- - 120. Odofredus Müller, si recte eum interpretor, non abhorret (Dor. I, 296) a sententia, Apollinis sacerdotem ab Argivis proprie nominatum esse *Ἀμφίπολον*.

CORRIGENDA.

Pag. 2	versu	2	lege:	consensum *est.*
— 5	Not.	26	—	Hel.
— 6	v.	12	—	ἀφελομένη,
— 8	-	21	—	vocan*tor*
— 12	-	15	—	*Κόρη*
— 16	N.	115	—	*Ἡρωϊκῶν Θεογαμιῶν*
— 23	v.	4	—	aliisne
— 32	-	6	—	Cornelio.
— 34	-	2	—	agebat,
— -	-	7	—	πλησιάζει
— -	-	18	—	Scaligerus:
— 35	N.	14	—	Nonium
— 38	v.	9	—	*Κούρεια*
— 42	-	17	—	Abari*de*
— -	N.	7	—	diserte
— 43	v.	5	—	ἐμβαλὼν
— 44	-	8	—	aetate, auctoritate tamen
— 45	-	2	—	caelata
— -	-	7	—	diserte
— 49	-	4	—	τὴν
— 50	N.	68	—	Agrigentinus
— 52	v.	7	—	qui
— 55	-	3	—	ταῦρος
— -	-	6	—	aënus
— 59	-	11	—	τούςδε
— 62	-	16	—	Ioannes
— -	-	26	—	Aloysius
— 64	N.	150	—	Grecs
— 69	v.	20	—	ἅς
— 70	-	15	—	progredi
— 71	-	14	—	ᾤκισαν
— -	N.	180	—	ἀπαλλαγέντες
— 79	v.	7	—	πρῶτος
— 82	-	11	—	exposuit
— 84	-	6	—	mansuetudine

Pag.	85	Not.	249	lege:	Meiners
—	89	versu	9	—	conceptum,
—	93	-	29	—	Bröndstedio
—	95	-	20	—	Ἀρχίνους
—	97	-	6	—	Περιάλλῳ
—	100	-	5	—	ἐνέπρησε,
—	101	-	2	—	τὸ
—	-	-	4	—	ἀνδριάντι
—	105	-	11	—	τί
—	-	-	17	—	ῥίπτειν:
—	106	N.	2	—	309 C.
—	110	v.	19	—	sententia,
—	-	N.	9	—	ἀναστρεφομένη
—	-	-	10	—	ἀμφίπολος
—	111	v.	19	—	Φρυγίης
—	113	-	10	—	crebro
—	114	-	4	—	καὶ
—	118	-	5	—	ἀμφέπων
—	-	-	18	—	ὑμνῳδοῦ
—	119	-	1	—	ἱδρύσασθαι
—	123	-	3	—	(τῶν δημοσίων

I.

INDEX RERUM ET NOMINUM.

II.

INDEX VOCUM GRAECARUM.

HALIS SAXONUM,

TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.





